

IN OCCIDENTE NIHIL NOVI¹



**Opus auctore
Erico Mariâ Remarque
a.1929 editum,
a Leone Latino
in Latinum conversum**

Historia primi belli mundani ex personâ militis gregarii narrata: Paulus Bäumer undeviginti annos natus iuvenis terrores belli omnino non suspicatus miles voluntariê factus pro animi inflammatione adventurisque, quas expectaverat, experitur trucidationes saevissimas et mortes commilitonum absurdissimas. In hōc libro ex multis annis plurimum divendito Ericus Maria Remarque quadamtenus ab inferis ciet terrores primi belli mundani idque rapidâ cum vivacitate narrandi et sermone, quo omnem iuvenum generationem denuo allocutus tenet correptam.

¹ Titulus: *Im Westen nichts Neues*. angl. *All quiet on the western front*. fr. *À l'ouest rien de nouveau*. Hisp. *Sin novedad en el frente*. ital. *Niente di nuovo sul fronte occidentale*. ngr. *Ουδέν νεώτερον από το Δυτικό Μέτωπο*. - cfr Pars Prima: EL 168, 3-23; Pars Altera: EL 287,18-30; Pars Tertia: EL 288,70-81. Pars Quarta: EL 291, 83-101.





ERICH MARIA REMARQUE
(1898-1970)

Dieses Buch soll weder eine Anklage noch ein Bekenntnis sein. Es soll nur den Versuch machen, über eine Generation zu berichten, die vom Kriege zerstört wurde – auch wenn sie seinen Granaten entkam.



Hôc libro ne quem accusem neve quid confitear. Quo nihil conabor nisi referre de generatione hominum, quae bello destructa est - etsi eius granata effugerat.



Ecce coquina militaris primo bello mundano constituta

Positi sumus novem chiliometris a fronte bellicâ remoti. Heri alii in nostri locum suppositi sunt; nunc fabis albis et carne bubulâ saburrati sumus saturi atque contenti. Necnon in vesperum omnis nostrum accepit coculum ciborum plenum; praeterea dantur portiones botulorum panumque duplices – quibus sumus verê occupati. Talis casus iam diu non factus est: coquaster¹ decanus capite ruberrimo praeditus directê nobis cenam praebet; omni praetereunti cochleari suo annutat et vas implet luculenter. Qui vir est prorsus desperatus, quia nescit, quomodo ahenum suum ciborum evacuet. *Tjadenus* et *Müller* nonnullos lacûs lautorios comparatos curaverunt sibi usque ad marginem complendos, ut cibos sibi reconderent. Unus hoc facit voracitatis, alter cautionis causâ.

¹ *coquaster, coquastrî m. orig. *Küchenbulle*, *Küchenkarl*. cfr Georg Palkowitsch, *Böhmisch-deutsch-lateinisches Wörterbuch*, Prag 1820, Promus Tomus, A-R, col. 696: „Kuchtič, e, m. Sudelkoch, m. **coquaster**, imperitus coquus.“ Suffixum “-aster, astri”, quod minus valet imperitiam quam feritatem aut asperitatem, videtur bene quadrare ad sermonem militarem.



Tjadenus quo loco corporis collocet tantum ciborum, nos omnes laboriosè divinare studemus. Qui tamen est et manet longurio macerrimus.

Maximè autem valet duplices nobis etiam datas esse portiones tabaci fumandi. Omnes enim nostrum acceperunt dena sigara, vicena sigarella, bina frusta tabaci masticabilis - haec est copia luculenta. Ego pro tabaco meo masticabili cum *Katczynskyo* permutavi sigarella, quorum acciperem quadraginta. Quae sufficiunt ad integrum diem degendum.

At tota haec donatio quodammodo natalicia nequaquam erat nobis destinata. Nam tam liberales non sunt Borussi. Hos cibos abundantissimos accepimus per errorem.

Quattuordecim diebus ante iussi eramus aliis fatigatis succedere ad frontem. Cum nostrâ in parte res essent admodum quietae, metator¹ in diem reditûs nostri acceperat copiam victualium usitatam ideoque penora procuraverat ad centuriam centum quinquaginta militum cibandam. At nunc ipso die proximo praeterito in nos contra opinionem ab Anglis iniecta sunt ex cannonibus longis multa tela crassa, tantâ cum vehementiâ atque frequentiâ, ut multis nostrum occisis octoginta tantum reverteremur. Nocte reversi statim nos humum prostravimus, ut primo bene dormiremus; nam *Katczynskyus* rectè iudicat: bellum non esset tam vehementer malum, si quidem plus possemus dormire. Ad frontem enim bellicam numquam rectè dormitur, et spatium quattuordecim dierum est tempus longum.

¹ **metâtor**, -ōris m. orig. *der Furier*. cfr Georg Christoph Walther, TRACTATUS JURIDICO-POLITICOPOLEMICO-HISTORICUS DE JURE **METATORUM** VEL HOSPITATIONIBUS MILITUM, Franckfurt u. Leipzig 1735, p.22: „...und daher kommt auch das Wort *Mansionarius*, welcher halb Griechisch halb Barbarisch *δηριγευομονός* quasi τὰς μονὰς mansiones dirigens, heut zu Tag ein *Fourier*, *Metator*, (*Quartier-Meister*) genennt wird.“

Iam fuit tempus meridianum, cum priores nostrum e tuguriis ereperent. Semihorâ post omnes vasis coctoriis comprehensis congregati sumus ante coquinam castrensem¹, qui fragravit cibum pinguem atque nutritibilem. Primo loco scilicet expectent famelicissimi: parvus *Albertus Kropp*, qui nostrum cogitat dilucidissimè ideoque immunis² demum miles est; – *Müller V*, qui adhuc libros scholares secum fert et somniat de examine tumultuario³ superando; qui mediâ in grandine telorum sibi inculcat theoremata physica; – *Leer*, qui est barbâ plenâ et cui valdê placent puellae illorum lupanarium, quae frequentantur a praefectis militum; qui iure iurando affirmat tales puellas mandato officiali obligatas esse, ut gerant camisias sericeas et, si habeant convivas, qui ordine essent minimum centurionis, ut ante venerem se balneent; – et quartus ego, *Paulus Bäumer*. Nos omnes quattuor habemus undeviginti annos, omnes quattuor discipuli eiusdem classis scholam reliquimus militaturi. Proximi post nos stant amici nostri. *Tjadenus*, macerrimus faber claustrarius, coaequalis noster, gulo totius centuriae voracissimus. Qui comesum considit gracilis, surgit tam crassus quam cimex gravidus; – *Haius Westhusius*, coaequalis, fossor turfae, qui pane militari manui incluso quaerit e nobis: *Divinate, quid insit pugno meo*; – *Detering*, agricola, qui de nullâ ferê re cogitat nisi de praedio suo suâque uxore; – et denique *Stanislaus Kaczinskyus*, caput gregis nostri, vivax, callidus, versutissimus, quadraginta annos natus, facie quodammodo terrenâ, oculis caeruleis, umeris pendulis, qui admirabiliter praesentit difficultates et cibos bonos et occasiunculas laboris effugiendi. Grex noster fuit primus in ordine militum ante coquinam castrensem expectantium. Nos facti sumus impatientes, nam coquaster nil mali suspicatus adhuc stabat et expectabat. Denique *Kaczinskyus* ei acclamavit: »Age, Henrice, tandem aperi voratrinam⁴ tuam! Apparet fabas iam esse percoctas«. At coquaster caput concussit somniculosê: »Primo oportet adsint omnes«. *Tjadenus* in torvum renidens: »Nos« inquit, »adsumus omnes«. Decanus⁵ autem adhuc nihil animadvertit. »Istud vobis non licet! Ubinam sunt ceteri?« »Qui non iam a te curabuntur! Aut sunt in nosocomio aut in sepulchro massali⁶«. Haec cum audivisset, coquaster animo fuit profligatissimo. Qui titubavit. »At ego cibos coxi militibus centum quinquaginta«. *Kroppius* costas impulit coquastri. »Ergo tandem aliquando saturabimur. Agedum, incipe!« Subito autem mens *Tjadeni* illuminata est. Acuta eius facies murina coepit nitêre, eius oculi sagacitate deminuti sunt, genae micuerunt, ipse coquastro appropinquavit:

1 **coquina castrênsis** orig. *Gulaschkanone*. cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Feldkochherd>: "Ein Feldkochherd (FKH), auch **Feldküche** oder umgangssprachlich **Gulaschkanone** genannt, ist ein Anhänger, in den ein oder mehrere Kessel und eine Feuerstelle integriert sind und der ursprünglich zur Essenzzubereitung als Feldküche im eigentlichen Sinne, oder als Teil davon gedacht war". cfr GRIMM, Deutsches Wörterbuch, s.v. Feldküche: *culina castrensis*.

2 **immūnis (mīlēs)** orig. *Gefreiter*.

3 **exāmen tumultuārium** orig. *Notexamen*.

4 **vorātrīna**, -ae f. orig. *Bouillonkeller*.

5 **decānus**, -ī m. orig. *Unteroffizier*. cfr Karl Kärcher, Kurzgefasstes Handbuch des Wissenswürdigsten aus der Mythologie und Archäologie des Klassischen Alterthums, p.104: „In jedem Zelte waren gewöhnlich zehn Mann mit ihrem sie kommandierenden Unteroffizier, **decanus**; dies nannte man contubernium, Kameradschaft“.

6 **sepulchrum massāle** orig. *Massengrab*.

»Mi bone homo, si ita est, tu verê accepisti etiam pro centum quinquaginta militibus panes, nonne?«

Cum decanus adnueret timidulê animoque absens, *Tjadenus* eius vestem corripuit.

»Etiamne botulos?«

Rubriceps¹ iterum adnuit.

Tjadeni maxillae tremuerunt. »Etiamne tabacum?«

»Etiam, omnia.«

Tjadenus respexit vultu serenissimo. »Babae – en nos gallinae filios albae!² Ergo haec omnia restant nobis! Ergo omnis nostrum accipiet - exspectate paulisper – reverâ, omnis accipiet portiones duplices!«

Nunc Rubriceps resipiscens declaravit: »Istud non licet«.

At nunc nos quoque redanimati coquastro appropinquamus.

»Quidni hoc licet, Caroticeps³?« *Katczynskyus* quaesivit.

»Ea quae sunt militibus centum quinquaginta praeparata, non possunt praeberi illorum octoginta«.

»Nos tibi hoc demonstrabimus« *Müller* mussitavit. Rubriceps autem perseverans: »Cenam« inquit, »meâ causâ dabo centum quinquaginta militum, sed portiones dabo pro octoginta tantum«.

Tum *Katczynskyus* stomachans: »Nonne alteri homini suscipiendum est munus tuum, nonne? Penus accepisti non ad octoginta homines, sed ad centuriam secundam cibandam, intellegisne? Hoc penus nobis dabis! Nos enim sumus centuria secunda«.

Coquastrum urgemus. Iste apud neminem est gratosus, quia iam compluries eo culpam contraxit, quod nos in fossâ versantes cenam accepimus tardissimê et frigidam, quia iste in granatorum grandine⁴ minore non ausus est cum ahenis suis nobis appropinquare; quo factum est, ut sodalibus nostris cibiferis⁵ iter faciendum esset multo maius quam illis aliarum centuriarum. In hac re *Bulkeus* coquastrum centuriae primae melior fuit. Is enim, quamvis tam pinguis esset quam cricetus hiemalis⁶, ollas secum traxit, si quidem hoc erat necessarium, usque ad lineam frontis bellicae primam. Nos iam fuimus animis tam irritatis, ut non multum abesset, quin istum coquastrum sugillaremus, nisi subito apparuisset dux centuriae noster. Qui de lite nostrâ certior factus primo nihil dixit nisi haec: »Reverâ, multi nostrum ceciderunt - «. Deinde ahenis inspecto: »Fabae« inquit, »videntur esse bonae«.

Rubriceps annuit. »Cum adipe atque carne sunt percoctae«.

1 ***Rubriceps**, Rubricípitis m. orig. *Tomatenkopf*, *Tomate*. cfr nomina scientifica: *Anaplectes rubriceps* (avis), *Boletus rubriceps* (fungus).

2 **Babae – en nōs gallinae filiōs albae!** orig. *Donnerwetter ! Das nennt man Schwein haben!* **gallinae filius albae** cfr IUV.sat.13,140-142: Ten, o delicias, extra communia censes/ ponendum, quia tu **gallinae filius albae**,/ nos uiles pulli nati infelicibus ouis?

3 ***carōticeps**, -ipitis m. orig. *du Mohrrübe*.

4 **grandō grānātōrum** orig. *Granatfeuer*.

5 **cibifer**, cibiferī m. orig. *Essensholer*.

6 +**cricētus hiemālis** orig. *Winterhamster*.

Succenturio¹ nos aspexit. Qui scivit, quid cogitaremus. Praeterea quoque îdem scivit nonnulla, nam inter nos ordine promotus erat, cum ad centuriam venisset priore ordine decanus.

Îdem vir operculo iterum sublato nictivit². Abiens succenturio dixit: »Afferte mihi quoque catinum fabarum. Portiones distribuantur omnes. Quibus egemus comedendis«.

Rubriceps autem stultê vultum contraxit. *Tjadenus* circa illos saltavit. »Hoc isti omnino non nocet! Iste semper se gerit, quasi ipse possideat officium penuarium. At nunc tandem incipe, vetule Lardiceps, sed noli falso numerare -«

»Laqueo te suspendas!« Rubriceps fremuit irâ incensus. Hac re quodammodo obtorpuit eius animus. Iste coquaster hanc rem expertus mundum non iam intellexit. Îdem quasi vellet demonstrare se nunc nihil iam curare, distribuit suâ sponte omni nostrum semilibram mellis artificialis.

* * *



Ecce latrina subdialis, quae a militibus Germanis per iocum dicebatur *trabs tonitrualis*³.

Hic dies reverâ bene nobis succedit. Ipsa res cursualis hodie fit, omnis ferê nostrum accipit nonnullas epistulas ephemeridesque. Nunc ad pratum ambulamus post tuguria situm. *Kroppius* operculum dolii margarini⁴ rotundum bracchio suo suppositum secum fert. In margine prati dextro magna est latrina massalis⁵, stabile aedificium tecto instructum. At istud est ad usum tironum aptum, qui nondum didicerunt omnem

1 *succentûriō, -ōnis m. orig. *Leutnant*.

2 nictiō, nictûre orig. *schnupfern*.

3 *trabs tonitruâlis* theod. (sermone militum iocoso) *Donnerbalken*.

4 *margarînum, -î n. (sc. bûtÿrum) orig. *Margarine*. Antonio Bacci, *Lexicon vocabulorum quae difficiliter Latine redduntur*. 4.ed. Romae (Editrice Studium) 1963, p.453.

5 *massâlis*, -e orig. *Massen*//. *latrîna massâlis* *Massenlatrine*, cfr supra *sepulchrum massâle*, *Massengrab*. cfr *arma dēstrūctiōnis massâlis* theod. *Massenvernichtungswaffen* angl. *weapons of mass destruction*, *homicidium massâle* *Massenmord*, *media massâlia*, angl. *mass media*, theod. *Massenmedien*, cfr Albert Sleumer, *Kirchenlateinisches Lexikon*, Limburg an der Lahn 1926, p.505: "massa, -ae f. 1. Teig, Masse, Klumpen. 2. Menge, Schar; candidata massa martyrum = die weißglänzende Schar der Märtyrer." – cfr TERT.adv.Hermog.30: quasi et hae confusae substantiae *massalis* illius molis argumenta portendant.

rem sibi utilem facere. Nos quaerimus aliquid melius. Nam ubique dissitae sunt parvae capsae singulares ad eundem finem constructae. Quae sunt quadriangulares, purae, integrae ligno constructae, conclusae, commodâ sede vitii experti instructae. Partibus lateralibus affixa sunt manubria, quibus possint transportari. Nos tres his sellis pertusis insidentes congregamur in circulum commodissimum. Scimus nos hinc surrecturos esse, si maturrimê, post horas duas.

Adhuc recordor quanto nos in castris tirones simus pudore affecti latrinam communem frequentantes. Quae latrina expers est ianuae, in eâdem sedent viginti viri unus iuxta alium sicut in tramine ferriviariâ. Qui possunt omnes statim conspici; – scilicet oportere, ut miles semper custodiatur.

Nos interim plura didicimus quam aliquantulum pudoris cohibere. Mox assuefacti sumus ad res multo asperiores.

At hîc sub dio res latrinaria¹ est quaedam voluptas haud exigua. Non iam scio, quare prius nos debuerimus tales res semper quadam cum verecundiâ praeterire, quamquam eadem haud minus naturales sunt quam actiones comedendi et bibendi. Nec necessarium esset aliquid dicere de talibus rebus, nisi apud nos milites tanti essent momenti nobisque tironibus tam novae fuissent, – ceteris militibus iam pridem fuerunt usitatissimae.

Militi stomachus ciborumque digestio est provincia familiarior quam ulli homini alii. Dodrans ferê pars thesauri verborum militarium spectant ad hanc provinciam; in sermone castrensi res digestoriae tam latê patent, ut neque summum gaudium neque indignatio vehementissima a milite exprimantur nisi verbis aliquatenus asperis ex hac provinciâ oriundis. Hôc sermone brevius et dilucidius dici potest quam ullo alio. Cognati nostri magistri que stupefacti mirabuntur, si loqui audient nos domum reversos, sed talis sermo hic adhibetur universalis.

Nobis omnes hae res digestoriae², cum cogimur eas coram publico exercere, denuo factae sunt quodammodo innocentes. Ut plura dicam: tales res nobis sunt tam usitatissimae, ut easdem commodê exercere tantidem aestimetur quam – ut aliud exemplum afferam – in lusu chartarum victoriam parere splendidissimam bellula ratione atque consilio praeparatam³. Haud sine causâ blateratio omnis generis appellata est »rumusculus latrinarius«; latrinae enim sunt militum anguli ad garriendum et rumigerandum aptissimi. His in sellis pertusis subdialibus nunc melius nos habemus quam in quocumque secessu lautissimo lamnisque figlinis quam candidissimis instructo. Nam ille secessus⁴ licet sit verê hygienicus: at in nostris sellulis subdialibus nosmet habemus bellissimê.

1+**latrînârius**, -a, -um *i.q. ad latrinam pertinens*. cfr Thomas Morus in: Johannes Janssen, Geschichte des deutschen Volkes seit dem Ausgang des Mittelalters: Zweiter Band, Salzwasser Verlag, Paderborn 2015 (editio anastatica editionis originalis a.1883 factae), p.195, adn.2: „...Thomas Morus nannte ihn (*Luther*) einen ‚latrinarius nebulo‘, ‚qui nihil in capite concipit, praeter stultitias, furores, amentias, qui nihil habet in ore praeter latrinas, merdas, stercora...“

2 **dīgēstōrius**, -a, -um *i.q. ad cibos digerendos pertinens*. cfr PLINIUS VALERIUS 2,8.

3 **quam...in lūsū chartārum victōriam parere splendidissimam bellulā ratione atque consilio praeparatam**
orig. *wie ...ein schön durchgeführter, bombensicherer Grand ohne viere..*

4 **sēcessus**, -ūs m. orig. *Lokus. i.e. locus domūs secretus, ubi homo mingit alvumque exonerat*. VULG.Matth.15,17; Marc.7,19; HIERON.ep.ad Tit.2,11.

Hae sunt horae cogitationum mirabiliter expertes. Supra nos stat caelum caeruleum. In horizonte pedent flavi folles aerostatici¹ lucidè irradiati et nubeculae albae telorum defensionis antiaeriae². Quae interdum aeroplanum persequentia forma mergitis rapidè sursum iaciuntur.

Fremitem autem frontis bellicae mitigatum non audimus nisi tamquam tonitrua perquam remota. Vel bombylii³, qui bombizantes praetervolant, huic sono praevalent.

Circa nos autem situm est pratum florentissimum. Paniculae graminum tenerae huc illuc oscillantur, papiliones pierides advolant titubantes, qui libratis alis pendent in vento aestatis exeuntis molli calidoque, legimus epistulas ephemeridesque et fumamus, cappas deponimus iuxta nos, ventus capillis nostris ludere videtur, ludere nostris verbis cogitationibusque.

Tres capsae pertusae interpositae sunt mediis papaveribus ruberrimis.–

Operculum dolii margarini imponimus genibus nostris. Ita fecimus nobis bonum substramen, in quo chartis ludamus. *Kroppius* chartas secum fert. Placet chartis ludere, placet modum ludendi variare, placent colloquiola, haec omnia tam vehementer placent, ut cupiamus hōc loco sedere in perpetuum.

Ex tuguriis sonant modi musici harmonicae ductilis. Interdum chartis depositis nos unus alterum aspicimus. Tum unus dicit: »Babae, babae - «, aut: »Ista res potuit male evadere - «, et in momentum temporis conticescimus. Nos fortiter commovemur, sed tectè, omnis nostrum hoc sentit, non egemus multis verbis. Non multum afuit, quin hodie non sederemus in capsis nostris familiaricis, pauxillulum tantum afuit.

Itaque nunc omnia sunt nova atque fortia – papaver ruberrimum, cena bona, sigarella, ventus aestivus. *Kroppius* quaerit: »Vestrumne aliquis vidit *Kemmerichium?*«

»Qui iacet in nosocomio Sancti Iosephi«, dixi.

Müller dicit illum femore percusso quodammodo habere syngraphum, quo liceat domum redire. Convenit inter nos, ut post meriediem illum visitemus. *Kroppius* epistulam e sacculo eximit. »*Kantorekius* me iubet vos salutare«.

Ridemus. *Müller* sigarello abiecto: »Vellem« inquit, »ille nunc adesset«.

* * *

1 **follis** *aerostaticus orig. *Fesselballon*.

2 **dēfēnsiō** *antiāeria orig. *Flak* (i.e. *Flugabwehrkanone*) i.q. *canno(nes) āeroplana arcendī*. cfr José Juan del Col Diccionario auxiliar: español-latino para el uso moderno del Latín, Bahía Blanca a.2007, p. 73, s.v. antiaereo.

3 +**bombylius**, -ī m. orig. *Hummel*.



Kantorekius fuit magister noster classiarius, vir severus griseâ veste gremiali indutus, facie soricinâ praeditus. Ille fuit ferê eâdem staturâ ac decanus *Himmelstoßius*, cui fuit supernomen *terriculamenti Montis monasterialis*. Ceterum mirabile est malum mundi persaepe effici ab hominibus staturae brevis, qui sint multo promptiores ad agendum et rixandum quam homines staturae longioris. Semper cavebam, ne fierem miles alicuius divisionis, cui inerant duces centuriarum staturae brevis; tales enim solent esse vexatores execratissimi. *Kantorekius* autem in institutione sua gymnasticâ tamdiu nobis acroases fecit, usque dum discipuli nostrae classis omnes eodem duce iter fecerunt ad officium militare, ut nomina darent militiae capessendae. Adhuc tam bene eum recordor, ut mihi videatur coram nobis stans oculis coruscis per vitra perspicilli sui nos aspectans et voce tremente ex nobis quaerens: »Nonne etiam vos, sodales, estis pro patriâ pugnaturi?«

Isti educatores nimis saepe nimisque leviter animi sui inflammationem in promptu habent patefaciendam; scilicet eandem êdere horatim¹. At de hac re illo tempore nondum deliberavimus. At unus nostrum dubitans noluit nobiscum militare. Is fuit *Josefus Behm*, catulaster corpore crasso, bono animo.

¹ +hōrātīm (adv.) i.q. omni hora, semel in horâ. cfr Ducange s.v.



Tandem autem ei persuasum est, alioquin famam contraxisset pessimam. Fortasse complures cogitaverunt ita ut ille; sed nemini facile erat se excludere, nam vel parentes prompti paratique erant adhibere verbum ignaviae. Homines enim omnes ne suspicati quidem sunt, quid venturum esset. Prudentissimê iudicabant homines pauperes atque humiles; qui bellum statim duxerunt esse malum, cum homines melioris condicionis prae laetitiâ nesciebant, quid facerent, quamquam fieri poterat, ut iidem ipsi effectûs belli multo prius iam praeviderent. *Katczynsky* contendit hoc fieri eruditione, nam si quis sit eruditus, eum stultum fieri. *Katumque* autem nil dicit nisi consideratê.

Mirum fuit *Behm* fuisse unum e prioribus omnium, qui in proelio ceciderunt. Quem cum inter proelium impetus fieret, oculis glande plumbeâ percussis reliquimus prostratum credentes eum esse mortuum. Nam eundem nobiscum ferre non potuimus, quia nobis tumultuariê erat recedendum. At post meridiem subito audivimus clamantem et foris huc illuc repentem. Nam breviter tantum animo relictus erat. Caecus autem ut erat summisque doloribus affectus, se non abdidit in locos tectos; quo factum est, ut ab hostibus ictu sclopeti interfectus est, antequam ab aliquo nostrum accedi potuit, ut servaretur.

Scilicet causam non esse, cur culpa *Behmii* interfecti conferatur in *Kantorekium*; – alioquin quisnam remaneret *integer vitae scelerisque purus*, si iste pro verbis tantum suis iam inculparetur. Nam fuerunt aliquot milia *Kantorekiorum*, quibus omnibus persuasum erat se modo aliquo sibi commodissimo rem agere optimam. At eo ipso isti magistri nobis videntur fecisse ruinam educationis suae fatalem. Quibus officium erat nobis iuvenibus duodevicenariis adesse atque moderari ad mundum adulatorum ituros, ad mundum operarum officiorumque, ad mundum cultûs civilis et progressûs futuri. Nos illis interdum illuseramus levesque dolos iisdem nexueramus, sed soliti eramus eorundem placita credere. Nobis persuasum erat illos auctoritate suâ nixos praeditos esse intellectu scientiâque maiore rerum humanarum. At haec persuasio primo homine mortuo a nobis aspectu funditus sublata est. Non potuimus, quin



intellegeremus aetatem nostram sinceriores esse quam illorum; illos nobis nulla re praestare nisi versutia atque verbositate. Primam iam grandinem telorum continuam experti animadvertimus nos erravisse et imaginem mundi ab illis doctam in irritum cecidisse.

Illis adhuc scribentibus atque loquentibus nos videbamus valetudinaria castrensia hominesque morientes; – cum illi officium civitatis causa explendi dicerent esse rem maximam, nos iam scivimus metum mortis esse fortiorem. Non quidem ea de causa facti sumus desertores seditiosi ignavique – omnia ista verba illi solebant habere parata promptaque –, nos patriam amabamus haud minus quam illi omnique in impetu faciendo fortiter progrediebamur; – at nos nunc discrevimus, subito cernere didiceramus. Et crevimus nihil mundi ab illis laudati relictum esse. Nos subito horribiliter desolati eramus; – et necesse erat, ut nos soli hanc solitudinem perpeteremur.

* * *

Ad *Kemmerichium* visitandum profecturi eius vasa colligimus; quae ei iter facienti certe erunt utilia. In valetudinario castrensi multa aguntur; ut semper ibi sunt odores carbolei et puris et sudoris. Ad odores tuguriorum patiendos assuefacti sumus, sed haec loca tam vehementer foetent, ut periculum est, ne fiat nausea. Toties interrogamus, ut denique *Kemmerichium* inveniamus; qui in oeco cubans nos recipit cum laetitia infirma, inopi cum excitatione. Cum animo esset relictus, ei subreptum est horologium. *Müllerus* capite concusso: »semper tibi dixi« inquit, »non oportere,

ut tecum sumeres horologium tam pretiosum«. *Müllerus* enim quadamtenus est scaevus et litigiosus. Alioquin os opprimeret, nam omnis homo videt *Kemmerichium* non iam esse ex isto oeco exiturum. Nil refert, num reperiat horologium suum, nisi quis idem instrumentum mittet parentibus. »Ut vales, Francisce?« *Kroppius* quaerit. *Kemmerichius* caput demittit. »Aliquatenus valeo – utinam ne pes meus doleret tam execrabiliter!«. Eius lodicem aspicimus. Eius pes suppositus est corbi metallico, cui superpositum est opertorium lecti tumidum. Clam *Mülleri* tibiam inculco, ne is dicat *Kemmerichio* id, quod sanitarii nobis foris iam narraverunt: *Kemmerichium* pedis iam expertem esse. Nam eius crus est amputatum.

Īdem aspectu est terribili, facie luridâ pallidâque, faciei iam insunt ista lineamenta aliena, quae centies iam visa tam bene novimus. Quae non sunt proprio sensu lineamenta, sed potius signa. Sub cute nil iam vivum pulsatur; quod iam est expulsum usque ad marginem corporis, ex intimâ parte mors corpus extrorsus perfodit, in oculos iam dominatur. Ibi prostratus est *Kemmerichius* sodalis noster, qui nuper demum nobiscum carnem equinam assavit et sedit in infundibulo; – qui adhuc est ille et tamen ille est non iam, illius imago quadamtenus est diluta, indeterminata, laminae photographicae similis, quâ facta sunt duo photographemata. Vel vox eius sonat tamquam cinis. Recordor nos illo tempore proficiscentes. Mater *Kemmerichii*, mulier bona et crassa, eum adduxit ad stationem ferrivariam. Illa cum non desineret lacrimare, facie erat turgidâ et tumidâ. *Kemmerichium* huius rei puduit, nam eius mater omnium minimê dolorem ferens valedicendi quodammodo dilapsa est in aquam adipemque. Lacrimans me petebat rogandum, iterum iterumque brachio meo correpto me obsecrabat, ut foris curarem suum Franciscum. Qui reapse facie fuit puerili ossibusque tam mollibus, ut post quattuor iam septimanas sarcinas portandi pedes eius fierent planae. At quomodo fieri potest, ut aliquem cures in proelio versantem! *Kroppius*: »Tu quidem« inquit, »nunc certê domum venies, commeatum si petivisses, exspectandum tibi fuisset minimum per tres quattuorve menses«.

Kemmerichius annuit. Taedet me eius manûs aspectare, quae videantur constare ex cerâ. Eius unguibus subsident sordes fossae, quae sunt caeruleo-nigro colore venenato. In mentem mihi subvênit fore, ut hi ungues crescere pergant, per longum tempus crescant, diu etiam crescant tamquam stirpes hypogei monstruosae, quamquam *Kemmerichius* ipse iam pridem respirare desiverit. Videor mihi imaginem horum unguum aspectare: qui incurvantur ad talem formam, quali est extraculum suberis, et crescunt nec desinunt crescere, et unâ cum iis capilli, quibus obsita est calvaria dilapsura, tamquam graminibus, quibus obsita est humus bona, ipsis graminibus hi capilli erunt simillimi, quomodo hoc fieri potest - ?

Müller dorsum inclinatur. Res tuas nobiscum attulimus, Francisce«.

Kemmerichius manu indicat. »Has ponite sub lecto«. *Müller* hoc facit. *Kemmerichius* denuo loquitur de horologio. Quonam modo fieri potest, ut eius animum faciamus tranquillum, sed non suspiciosum!



Müller revenit par caligarum secum afferens, quales geruntur ab aeronautis. Haec sunt magna calceamenta anglica ex flavo corio molli confecta, quae usque ad genua pertingunt et corrigiantur, calceamenta pretiosa et desideratissima. His aspectis *Mülleri* animus inflammatur, idem caligarum soleas cum sui ipsius calceis parum formosis comparans quaerit: »Num has caligas tecum ablaturus es, Francisce?«

Nos omnes eandem rem cogitamus: etiamsi *Kemmerichius* reconvalesceret, cum unâ tantum caligâ ûti posset, eadem ei essent inutiles. At – quâ valetudine ille nunc est – vehementer dolemus, quod caligae hîc relinquuntur; – nam sanitarii illo mortuo eas statim abripiant. *Müller* denuo ex illo quaerit: »Nonne vis eas hic relinquere?« At *Kemmerichius* non vult. Sunt res eius pretiosissimae. *Müller* aliam rem proponens »Caligas« inquit, »permutemus aliâ re. Hîc foris tales sunt utiles«. At *Kemmerichio* non persuadetur. Ego clam pedem *Mülleri* inculcans significo non oportere, ut pergat illum urgere; is cunctabundus caligas pulchras sub lecto reponit. Nonnulla collocuti sodali valedicimus.

»Bene vale, Francisce«.

Ei promitto nos cras reversuros esse. *Müller* quoque de reditu loquitur; sed is cogitat de caligis corrigiatis, quarum causâ esse vult animo attentissimo.

Kemmerichius gemit. Qui feбри laborat. Foris sanitarium sistimus et ab eo petimus, ut illi iniciat siphunculum.

At is recusat. »Si omni vulnerato vellemus morphium dare, necesse esset habere integra dolia hōc medicamento completa - «

Kroppius perosus: »Tu« inquit, »certê nemini ministras nisi praefectis militum«. Statim ego adiuturus primum sanitario do sigarellum. Quod is accipit. Deinde ex eo quaero: »Num tibi licet siphunculum inicere?«

Qua quaestione animus eius laesus est. »Nisi hoc creditis, quidnam quaeritis ex me -«
Eiusdem in manum nonnulla sigarella imprimo. »Gratum« inquam, »nobis facias, quaesumus - «

»Bene, faciam« is dicit. *Kroppius* autem cum sanitario introit aspectaturus, quia ei non confidit. Nos foris exspectamus. *Müller* denuo loquitur de caligis. »Hae caligae ad pedes meos quadrant perfectê. At istis calceamentis laxissimis cum iter facio, pustulas excitare non desino. Putasne *Kemmerichium* perduraturum esse usque in crastinum? Si iam nocte mortuus erit, caligas non revidebimus – «

Albertus revenit. »Sentitisne -?« quaerit.

»Iam factumst«, *Müller* dicit.

Revertimur ad tuguria nostra. Cogito de epistula, quam cras debebo scribere ad *Kemmerichii* matrem. Frigeo. Velim bibere hyalum vini adusti). *Müller* gramina evulsa arrodit. Subito *Kroppius* parvus sigarellum abiectum ferociter conculcat, vultu dissoluto et perturbato circumspicit, balbutit: »O caenum, exsecror istud caenum!«.

Iter pergimus per longum tempus. *Kroppius* interim acquievit, nos novimus eum laborasse furore proeliari, omnis nostrum aliquando isto laborat. *Müller* ex eo quaerit: »quidnam tibi scripsit *Kantorekius*?«

Tum *Kroppius* ridet: »Ille scripsit nos esse iuvenes ferreos«. Nos omnes tres stomachantes ridemus. *Kroppius* conviciatur; gaudet se nunc posse loqui. – Verum enim vero, sic isti cogitant, sic cogitant, ista centum milia *Kantorekiorum*! Nos esse iuvenes ferreos. Nos iuvenes! Nos omnes non plures annos habemus quam viginti. At num sumus iuvenes? Nos iuvenes? Tales fuimus ante tempus longissimum.

Nos nunc sumus senes.

Caput alterum

II




PAUL BÄUMER

Mirum mihi videtur me cogitare de dramate incohato, quod inscribitur „*Saul*“ deque decuriâ carminum, quae iacent domi, in quodam mensae scriptoriae forulo reciproco. Nonnullum vesperum dêgi haec scribens, quod nos solebamus facere ferê omnes; at hoc mihi interim tam alienum videtur, ut vix animo fingere possim me umquam talia fecisse.

Ex quo hîc sumus, vita nostra prior a nobis quodammodo absecta est, quamquam hoc nullo modo studuimus efficere. Interdum conamur cursum vitae nostrae disponere et explicare, sed hoc nobis parum bene contingit. Nobis ipsis iuvenibus vicenariis omnia sunt incerta et obscura, *Koppio*, *Müllero*, *Leerio*, mihi, nobis, quos *Kantorekius* appellat iuventutem ferream. Ceteri viri aetate provectiores omnes firmê colligati sunt cum rebus prioribus, illi habent fundum, habent uxores, liberos, professiones et commoda petenda, quae iam sunt fortiora quam ut bello possint dirumpi. At nos vicenarii nihil habemus nisi parentes nostros et nonnulli puellam. Hoc non est multum – nam nostrâ aetate auctoritas parentum est infirmissima, et puellae nondum praevalent. Praeter ea nos non multa alia habebamus; aliquantum somniationum et dilectionum rerumque scholarium; remotiora iuventus nostra nondum capiebat. At harum rerum nihil nobis relictum est.

Kantorekius diceret nos modo stetisse in limine existientiae nostrae. Ferê talis est condicio nostra. Nondum terrâ coalueramus. Bello tamquam undâ sumus subluti. Aliis, id est viris aetate provectoribus, bellum est interruptio; qui possunt trans bellum cogitare. At nos bello correpti nescimus, quonam modo hoc finiatur. In

praesenti nil scimus nisi nos mirê atque maestê obbrutuisse, quamvis ne contristemur quidem saepius.



PROFESSOR KANTOREK

DULCE ET DECORUM EST PRO PATRIA MORI

*

Eo quod *Müller* studet accipere caligas *Kemmerichii*, non minus misericors est quam aliquis, qui prae dolore non audeat cogitare de caligis. Sed scit distinguere. Si caligae adhuc aliquatenus prodessent *Kemmerichio*, *Müller* mallet transcurrere nudis pedibus filum ferreum spinosum quam deliberare, quomodo has caligas acciperet. At nunc caligae sunt res, quae prorsus non spectant ad statum *Kemmerichii*, cum *Müller* iisdem bene possit uti. *Kemmerichius* sic quoque morietur, quicumque caligas accipiet. Ergo quid est, cur *Müller* non studeat easdem accipere, nam *Müllero* plus iuris est has caligas possidendi quam alicui sanitario! *Kemmerichio* iam mortuo nimis sêrum est caligas petere. Itaque *Müller* iam nunc attendit, ne nimis sêro veniat. Non iam sentimus alias cohaerentias, quia eadem sunt nimis artificiales. Nobis nihil rectum est nihilque utile nisi res factae. Necnon bonae caligae sunt rarae.

*

Prius etiam hoc fuerat aliud. Cum iremus ad magistratum militem, adhuc eramus classis viginti iuvenum, qui, nonnulli primâ vice, quâdam insolentiâ elati unâ siverunt se rasitari, antequam intrarent aulam castrorum. Multa consilia firma temporis futuri animis conceperamus, paucissimi nostrum cogitabant de cursu honorum deque professione suâ futurâ tam certê, ut definirent modum vivendi, pro eo autem animi nostri pleni erant idearum incertarum, quibus vitam necnon bellum fingeremus quodammodo idealia, et paene romantica. Per decem septimanas ratione militari eruditi sumus et illo tempore gravius transformati sumus quam decennio institutionis scholaris.

Didicimus botonem purgatum plus valere quam quattuor tomos *Schopenhaueri*. Primo mirati sumus, deinde irâ incensi, denique socordes cognovimus non praevalere mentem, sed peniculum calcearium, non cogitatum, sed systema, non libertatem, sed exercitium militare. Animi inflammatione atque bonâ voluntate facti eramus milites;

at omnia facta sunt, ut hae excuterentur ex animis vestris. Post tres septimanas non iam incomprehensibile nobis fuit tabellarium epomidibus instructum plus potestatis habere erga nos quam prius parentes nostros, nostris educatores et omnes unâ cultûs



HIMMELSTOSS

civilis praeceptores a *Platone* usque ad *Goetheum*. Oculis nostris iuvenilibus vigilibusque videbamus notionem patriae classicam magistrorum nostrorum hîc in tempus quoddam eo ad effectum adduci, quod tantopere humiliaremur, quantopere numquam quis humiliaret quemvis mediastrinum. Salutare, stare corpore erecto, sclopetum ostentare, converti dextrorsum, converti sinistrorsum, calces compellere, increpitari, milies vexari atque molestari: nos munus nostrum mente finxeramus omnino aliud nobisque videbamus ad facinora heroica committenda praeparari tamquam equi circenses. At mox assuefacti sumus, immo intelleximus partem harum rerum esse necessariam, alteram esse supervacaneam. Nam miles instructus est naso subtili, quo distingueret hoc ab illo. Terni et quaterni nos discipuli nostrae classis distributi sumus ad singulas corporalitates, unâ cum Frisiis piscatoribus, agricolis, operariis fabrisque, quibuscum celeriter amicitiam iunximus. *Kroppius*, *Müller*, *Kemmerichius* egoque attributi sumus nonae corporalitati, quam duxit subofficiarius *Himmelstossius*. Qui habebatur pro vexatore totius aulae castrensis omnium acerrimo, ideoque gloriabatur; vir corpore parvo atque solido, qui per duodecim annos militiam fecerat, subio coloris vulpini verticillato, professione civili tabellarii.

Qui subofficiarius quam plurimum cupiebat vexare *Kroppium* et *Tiadenum* et *Westhusium* necnon me ipsum, quia sentiebat contumaciam nostram clandestinam. Mâne aliquo quater decies stravi istius lectum. *Himmelstossius* iterum iterumque modum lecti sternendi meum vituperans lodicem linteaue deripiebat. Per viginti horas - pausis scilicet interpositis – laborem exanclans caligas praevetustas et saxo

duriores unguento oblinendo reddidi butyro molliores, ut ipse *Himmelstossius* nihil iam inveniret vituperandum; - mandatu eius peniculo dentario conclave corporalitatis verrendo purgavi; - *Kroppius* et ego peniculo manuali et vattillo verrendi suscepimus mandatum aulae castrorum verrendo a nive liberandae, et nos pertulissemus et obduravissemus, usque dum frigendo moreremur, nisi forte fortunâ quidam subcenturio apparuisset, qui nobis amissis *Himmelstossium* fortiter increpavit.

Sed dolendum nobis fuit, quod inde nihil effectum est nisi ut *Himmelstossius* nobis etiam vehementius irasceretur. Per quattuor septimanas continuas omni die Dominicâ vigiliis egi et tantoque spatio temporis conclave curavi purgandum; - cum omnibus sarcinis et sclopeto in lapsili et umido agro arato exercui *raptim prosilire* et *me humum deicere*, usque dum nihil essem nisi glaeba sordidissima et collaberer; - quattuor horis post *Himmelstossio* monstravi armamenta mea purgatissima, sed manibus fricando sanguineis; - cum *Kroppio*, *Westhusio*, *Tiadeno* sine chirothecis et gelu acerbissimo saeviente per quadrans horae exercui *constare immotus*, digitis nudis fistulae sclopeti gelidae impositis, cum insidiosê circumrepebat *Himmelstossius*, qui exspectabat motum vel minimum, ut delictum animadverteret; - nocte horâ secundâ octies camisiâ tantum indutus a summo tabulato castrorum decurri usque in aulam, quia subligar meum nonnullis centimetris super marginem scabilli eminuit, in quo omnis nostrum vestimenta sua debuit exstruere. Iuxta me currebat *Himmelstossius* subofficiarius munere fungens, et digitos pedum meorum calcabat; - iterum iterumque mihi battuendum fuit cuspide lapurdianâ sclopeto impositâ; mihi autem battuenti fuit ferrea compages ponderosa, illi leve sclopetum ligneum, ut ille commodê posset brachia mea suggillare; at aliquando, cum denuo hoc faceret, irâ incensus *Himmelstossium* temere praetercurrens tantâ vi eius stomachum pulsavi, ut decideret. Cum *Himmelstossius* quereretur, centurio eum irridens dixit, ut caveret; nam is cum novisset subofficiarium suum, visus est gaudere de eius repulsâ. - Factus sum erêptor¹ armariorum perfectus; - paulatim genuflexiones tam perseveranter exercueram, ut etiam hōc exercitio superarem commilitones ferê omnes; - solâ voce *Himmelstossii* auditâ tremebamus, tamen iste veredus² efferatus non fregit voluntatem nostram.

Cum *Kroppius* et ego die Dominicâ in castris tuguriorum situlas latrinarias ex perticâ suspensas per aulam portaremus et *Himmelstossius*, trossulus comptus et pumicatus, totus de capsulâ, paratus ad ambulatiunculam delectabilem faciendam, nos tamen consulto caespitantes situlas effudimus super istius pedes. Qui furore correptus est, sed mensura erat plena.

„*Hoc luetis custodiâ castrensi!*“ clamavit.

At *Kroppius* non iam voluit humiliari. Îdem: „*Antea*“ inquit „*fiet disquisitio officialis, ubi nos omnia patefaciemus.*“

1 **erêptor**, -ōris m. orig. *Kletterer*. **N.B.!** Vocalis paenultima est longa, nam hoc verbum ducitur ab **erêpendo**. Quod distinguas a substantivo, q.e. **erêptor**, et ducitur ab **eripiendo**.

2 **verêdus**, ī m. orig. *Postpferd*, i.q. equus cursualis, qui epistulas transportat. Auctor hōc nomine *Himmelstossii* irrisorio alludit ad professionem eius civilem: Iste subofficiarius ante bellum fuerat tabellarius. Ceterum nomen equi theodiscum, q.e. *„Pferd“*, derivatur a verbo Latino, q.e. **paraverêdus**, i.e. equus cursualis, qui adhibebatur in viis secundariis.


„Qui audes sic loqui cum subofficiario!“ rugivit *Himmelstossius*, „esne mente captus? Exspecta, dum rogeris! Quid faciatis?“

Tum *Kroppius*: „*Delicta*“ inquit „*patefaciemus Domini Subofficiarii!*“ et digitos appressit suturae bracarum.

Nunc autem *Himmelstossius* animadvertit, quid fieret, et tacitus abiit. Antequam abiit, adhuc crocitavit: „*Hoc vobis interam*“, – sed potestas eius infracta erat. Semel etiam conatus est nos in agris aratis vexare imperando, ut *nos deiceremus* et *raptim prosiliremus*. Oboedimus quidem omni mandato; nam mandatum est mandatum, quod exsequendum est. At nos idem tam lentê exsecuti sumus, ut *Himmelstossius* desperaret. Segniter genua fleximus, deinde brachia et cetera; interea ille iam alterum dederat mandatum. Antequam nos sudaremus, ille erat faucibus raucis.

Tum nos omisit. Adhuc nos appellavit canes porcinos. At maledictis submissê expressit quandam aestimationem nostri.

Fuerunt etiam multi corporales probi, qui erant prudentiores; immo probi erant plures. At praecipuê omnis eorum volebat munus suum commodum quam diutissimê retinere in patriâ gerendum, et hoc facere non poterat nisi tirones tractabat acriter.



Nos vexati sumus exercendi atque obdurandi causâ omni modo quo fieri potuit, ut saepe irâ incensi ulularem. Nonnulli nostrum istâ vexatione in morbum inciderunt, *Volfius* mortuus est pulmonum inflammatione. At nobis visi essemus ridiculi, si humiliati cesissemus. Obdurati sumus, suspiciosi, immisericordes, ultionis cupidi, crudi, – et hoc erat bonum; nam ab his qualitatibus vacavimus. Si missi essemus in fossam castrensem sine hôc tirocinio, plerique nostrum in insaniam incidissent. At sic praeparati eramus ad haec, quae nobis imminebant.

Non fracti sumus, sed nos accommodavimus; aetas viginti annorum, quâ nonnulla alia nobis erant perdifficilia, in hac re nos adiuvit. Gravissimum autem erat in nostris animis excitari firmam concordiam practicam, quae in campo proelii deinde exaucta est ad rem optimam omnium quae bellum efficiebat: ad sodalitatem!

*

Sedeo ad lectum *Kemmerichii*, qui magis magisque tabescit. Circa nos est multus strepitus. Tramen valetudinarium advenit, et eliguntur saucii transportabiles. At medicus lectum *Kemmerichii* praeterit, eum ne aspicit quidem.

Dico: „*Proximâ vice, Francisce*“.

Is surgit ad cubita. „*Amputaverunt femur meum*“.



Ergo hoc nunc iam scit. Annuens respondeo: „*Gaude, quod nihil peioris tibi accidit.*“

Is tacet.

Pergo loqui: „*Potuit etiam fieri, ut utrumque femur amitteres, Francisce. Wegeler amisit bracchium dextrum. Hoc est multo peius. Necnon licet tibi domum redire.*“

Me aspicit. „*Putasne?*“

„*Scilicet*“.

Ille repetit: „*Putasne?*“

„*Certê, Francisce. Sed primum necesse est te recreari a sectione.*“

Innuit, ut me admoveam. Caput deflecto ad Franciscum, et is susurrat: „*Ego hoc non credo.*“

„*Noli gerras loqui, Francisce, post nonnullos dies ipse hoc intelleges. En quantula res est: femur amputatum; hîc res multo maiores emplastro reparantur.*“

Is autem alterâ manu sublatâ: „*En vide*“ inquit „*istos digitos*“.

Tum ego: „*Hoc*“ inquam „*efficitur sectione. Dum satis bellê comedas, pondus tuum augebitur. Afferuntur vobis cibi sat multi bonique?*“

Is digito indicat patinam, quae est adhuc semiplena. Tum ego excitatus: „Francisce“ inquam „tibi comedendumst. Maximê valet comedere. Hic cibus haud malus esse videtur.“

Is recusat. Post pausam lentê dicit: „Aliquando volui fieri saltuarius superior.“ Tum ego consolaturus: „Talis fieri“ inquam „etiam poteris. Nunc protheses sunt mirabiles, quibus instructus ne sentias quidem tibi aliquid deesse. Quae musculis applicantur. Prothesibus manualibus digiti possunt moveri et operari, immo scribere, et praeterea certê invenientur instrumenta etiam meliora“.

Is aliquamdiu iacet tacitus. Deinde: „Licet“ inquit „tecum auferre calceos meos corrigiatis, ut tradas Müllero“.

Annuo et delibero, quibusnam verbis eum adhortari possim. Eius labia videntur abstergendo ablata esse, eius ôs est maius factum, dentes eminent tamquam cretacei. Caro diliquescit, frons fortius concameratur, ossa genarum prominent. Facies strigosa est. Oculi iam demerguntur. Post nonnullas horas periturus est.

Franciscus non est primus homo, quem talem videam; sed nos unâ adolevimus, ideoque res aliter se habet. In scholâ eius relationes furtim describebam. Plerumque gerebat fuscâ synthesin vestimentorum cingulo instructam, cuius manicae erant detritae. Is fuit unicus nostrum, qui inter exercitationes gymnasticas *in amite* facere posset *undam ingentem*.



Cum hoc exercitium faciebat, capilli in eius faciem cadebant tamquam sericum fulgentes. Itaque *Kantorekius* de eo gloriabatur. At sigarella *Franciscus* non patiebatur. Eius cutis erat peralba, aliquatenus erat puellae similis.

Ad caligas meas despicio. Quae sunt magnae et crassae, bracarum margines infimae iisdem sunt infartae; cum surgo, videor crassus et robustus his tubis latis instructus. At cum balneatum nos exuimus, subito apparent crura nostra angusta umerique angusti. Tum non iam sumus milites, sed paene pueri, nec credas nos posse subbaiulare sacciperia. Mirus est aspectus nostri, cum sumus nudi; tum sumus civiles et paene nobis videmur esse tales.

Franciscus Kemmerichius cum balneabat, aspectum habebat pueri solitum. At nunc hîc iacet talis, quanam re? Utinam totius mundi homines ducere possem praeter hunc lectum eosque invocare: *„Hic est Franciscus Kemmerichius, qui habet undeviginti annos dimidiumque: Is non vult mori! Ne sinatis eum mori!“*

Animus meus perturbatur. Isto aëre carboli et gangraenae pulmones mucescunt, iste aer est tamquam puls spissa, quâ mihi videor suffocari.

Obtenebrescit. Facies *Kemmerichii* expallescit, ex pulvinis allevata tam pallida est, ut niteat. Eius ôs movetur submissê. Ei appropinquo. Qui susurrat: *„Si meum horologium inveneritis, mittite domum“*.

Non contradico. Hoc non iam prodest. Non iam possum ei persuadere. Miserrimus sum inopiâ meâ. En istam frontem, ista tempora lapsa, istud ôs, quod ferê nihil iam est nisi dentatura, istum nasum acutum! Et illam crassam mulierem lacrimantem domi sedentem, cui scribere debeo. Utinam hanc epistulam iam scripsissem, iam scriptam misissem.

Adiuvae valetudinarii circumeunt cum lagoenis situlisque. Aliquis accedit et *Kemmerichium* aspicit oculis scrutabundis et abit. Apparet eum exspectare, verisimile est eum egere lecto.

Ad Franciscum propius me admovens loquor, quasi verbis meis îdem servari posset: *„Fortasse adducêris in recreatorium ad Montem Monasterii situm, Francisce, inter villas illas. Deinde ex fenestrâ poteris trans campos spectare usque ad ambas arbores in horizonte visibiles. Nunc est tempus pulcherrimum, cum frumentum maturescit, vespere sole splendente campi fulgent tamquam mater margaritarum³, ambulabis per Ambulacrum Pôpulorum ad rivum monasterii situm, in quo capiebamus pungitios⁴! Denuo poteris aquarium instruere et piscium prolem propagare, poteris tuâ sponte foras exire sine ullo permissu alieno, necnon poteris clavili modulari, quandocumque volueris.“*

Caput deflecto ad eius faciem in umbrâ sitam. Franciscus adhuc spirat, submissê. Eius facies est madida, quia lacrimat. Eheu, quantum mali effeci stultâ blateratione meâ!

„Heus Francisce“ - umerum eius amplector meamque faciem appono faciei eius. *„Visne nunc dormire?“*

Is non respondet. Lacrimae de buccis eius defluunt. Quas velim abstergere, sed mucinnium meum est nimis sordidum.

Hora elabitur. Animo suspenso sedeo omnemque observo vultûs mutationem sciscitans, num quid vellet dicere. Utinam ôs aperiat et clamitet! At nihil facit nisi

³ *mâter margaritârum*, orig. *Perlmutter*.

⁴ **pungitius*, -ī m. orig. *Stichling*.

lacrimat capite averso. Non loquitur de matre suâ deque fratribus sororibusque, nihil dicit, videtur illos iam reliquisse; - Franciscus nunc solus est cum parvâ suâ vitâ et lacrimat, quia ab eâ deseritur.

Ista est valedictio gravissima maximêque incomprehensibilis, quam umquam expertus sum, quamquam grave etiam fuit valedicere *Tidieno*, qui rugivit desiderio matris suae correptus, iste catulaster qui fuit robore ursino, et qui medicum oculis raptim apertis anxiosê cuspide Lapurdianâ⁵ arcebat a lecto suo, usque dum collaberetur.

Subito *Kemmerichius* gemit et incipit singultare.

Prosilio, ex eo caespitans et rogo: „*Ubi est medicus? Ubi est medicus?*“

Cum conspicerem supparum⁶ album, teneo correptum. „*Veni celerrimê, ne moriatur Franciscus Kemmerichius.*“

Medicus se abstrahit a me et quaerit ex medicastro, qui iuxta stat: „*Quid hoc sibi vult?*“

Ille dicit: „*Lectus vicesimus sextus, femur amputatum.*“

Medicus me allatrat: „*Unde ego aliquid sciam de isto, hodie iam quinque femora amputavi*“, me semovet et dicit medicastro: „*Vide quid factum sit*“, et currit ad oecum chirurgicum.

Cum sanitario rediens, tremo irâ incensus. Qui vir me aspecto: „*Una sectio*“ inquit „*post alteram, ex horâ quintâ matutinâ – sat bellulê, crede mihi, hodie acciderunt sedecim exitûs – tuus est decimus septimus. Certê hodie etiam accidet vicesimus –*“

Vires me deficiunt, subito dolore debilitatus sum. Non iam volo conviciari, hoc vanum est, volo delabi et animo relinqui neque umquam resurgere.

Sumus ad lectum *Kemmerichii*, qui est mortuus. Eius facies est adhuc lacrimis madida. Oculi sunt semiaperti, qui sunt tam luridi quam cornei botones detriti. -

Sanitarius latus meum fodicans rogat: „*Vin' res eius tecum auferre?*“

Annuo.

Ille pergit loqui: „*Necesse est eum statim auferre, nam egemus lecto. Foris in androne iam iacent alii saucii.*“

Res sumo et absolvo *Kemmerichii* tesseram identificationis. Sanitarius quaerit, ubi sit eius syngraphus militaris. Qui deest. Dico verisimile esse eundem depositum esse in grapheo, et ab eo. Post me Franciscum iam detrahunt ad pannum tentorii.

Ante ianuam tenebras ventumque sentiens mihi videor recreari. Spiritum duco, quantopere possum, et sentio auram, quae faciem meam mulcet calidior molliorque quam umquam antea. Subeunt animum meum puellae, prata florentia, nubes candidae volitantes. Pedes mei caligati promoventur, citius eo, curro. Milites me praetereunt, eorum colloquia me excitant non intellecta. Tellus perfluitur viribus, quae per plantas pedum meorum transfluunt in me. Nox crepitat electricê, frons militaris tonitruat sonis tam fuscis quam concentus tympanarum. Artûs mei moventur flexibiliter, sentio artûs meos fortiter, fremo atque anhelio. Nox vivit, ego vivo. Ingenti fame affectus sum, non solum stomachi causâ. –

⁵ **cuspis Lapurdiâna** i.q. theod. *Seitengewehr, Bajonett*.

⁶ **supparum**, -ī n. orig. *Kittel*.

Müller ante tugurium stans me exspectat. Cui trado calceos. Intramus, et ille eos induit. Qui quadrant exactê. –

Müller penora sua perscrutatus praebet mihi bellulum frustulum botuli cerebellati⁷. Necnon addit theam fervidam rhomio⁸ conditam.



*Explicit caput
alterum
fabulae romanicae
c.t.
„In occidente nihil novi“.
Caput tertium sequetur.*

⁷ **botulus *cerebellātus** orig. *Zervelatwurst*. Cfr Lurz, Societas Latina 1952, p.22; Kluge, Etymologisches Wörterbuch des Deutschen, a.1975, p.880, s.v.: Hoc verbum ducitur a lat. *cerebellum*, i.e. deminutivum *cerebri*.

⁸ ***rhōmium**, -ī n. orig. *Rum*, i.q. liquor alcoholicus saccharo destillatus. cfr José Mir, *Nova Verba Latina*, a.1970, p.227.

Caput tertium III



PAUL BÄUMER

Accipimus supplementum novorum commilitonum. Lacunae explentur, et sacci stramenticii in tuguriis prostrati mox occupantur. Partim hi milites novi sunt homines aetate proveciores, sed etiam 25 iuvenes nobis attribuuntur ex receptaculis tironum transmissi. Qui sunt integro ferê anno minores quam nos. Kroppius latus meum vellens: »*Vidistin' illos pueros?*«

Annuo. Nos iactamur, sinimus in aulâ nobis barbas rasitari, manûs impingimus sacculis bracarum, aspectamus tirones et nobis videmur esse veterani vetustissimi.

Katczynskyus nobis se adiungit. Permigramus stabula equorum et venimus ad novos milites suppletos, qui modo accipiunt mascas gasicas et cafeam. *Katius* rogat unum ex aetate minimis: »*Certê diu iam nihil boni devorastis, nonne?*«

Ille vultum detorquet. »*Mâne panem naporum – meridie holera naporum, vespere copadia naporum et acetaria naporum.*«

Katczynskyus sibilat more viri periti. »*Panem ex napis confectum? Feliciter res vobis successit, interdum illi panem conficiunt ex scobe. Sed quid sentis de fabis albis, vin' aliquantum earum?*«

Puer erubescit. »*Noli me deruncinare.*«

Katczynskyus autem nihil respondit nisi: »*Sume vasa tua escaria.*«

Nos secuti sumus curiosi. Is ad cupam nos ducit iuxta saccum stramenticium positam. Quae reverâ plena est fabarum albarum carnisque bubulae. *Katczynskyus* stat ante cupam et dicit: »*Oculos aperite, digitos arrigite! Hoc est signum Borussorum.*«



STANISLAUS KATCZINSKY

Nos sumus obstupefacti. Equidem quaero: *»Babae, Kati, quonam modo in hanc cupam incidisti?«*

»Coquaster ille ruberrimus« inquit, *»gavisus est, quod a me cupâ liberatus est. Ei dedi tres pannos serici umbellae desultoriae. Nonne fabae albae quamvis frigidae sapiunt haud improbê?«*

Katius gestu faventis puero dat portionem fabarum et: *»Proximâ vice«* inquit, *»si iterum hîc advenis cum vasi tuo coctorio, oportebit manu sinistrâ teneas aut sigarum aut petum. Intellextin' ?«*

Deinde ad nos conversus: *»Scilicet vos sic quoque fabas accipietis.«*

*

Kaczynskyus nobis est pernecessarius, quia praeditus est sensu sexto. Ubique sunt tales homines, sed nemo statim animadvertit eos esse talis indolis. Omnis centuria habet aut unum aut duos viros huiusmodi. Kaczynskyus est omnium versutissimus, quos nôvi. Qui professione est sutoris, sed hoc nil valet, nam is vir callet artem omnem. Bonum est huius hominis esse amicum. Nos eius amici sumus, Kroppius et ego, etiam Haius Westhus aliquatenus. Sed is potius est organum operans, nam laborat Katio imperante, si quae res agitur, ad quam conficiendam opus est pugnibus robustis. Itaque quibusdam fruitur commodis.

Ut exemplum afferam: Nocte venimus ad locum prorsus ignotum, viculum tristissimum, qui primo iam conspectu apparet desertus atque exhaustus. Mansio nobis est parva fabrica obscura, quae modo demum instructa est ad pernoctationem. Insunt lecti, vel potius loci dormitorii, nonnulli asseres, qui intensi sunt filis ferreis inter se connexis.

Filamentum metallicum est durum. Stragulum substernendum non habemus, stragulo egemus, ut nos obtegamus. Pannus tentorii nimis tenuis est.

Tum Katius re aspectâ dicit Haio Westhusio: »*Veni mecum.*« Unâ proficiscuntur in vicum prorsus ignotum. Semihorâ post revertuntur bracchiis stramento oneratissimis. Katius invênit stabulum equorum, cui inest stramentum. Nunc possemus dormire calefacti, nisi esuriremus terribiliter.

Kroppius ex aliquo milite artilleriae, qui iam diutius in hac regione versatur: »*Estne hîc aliquo loco caupona?*«

Is ridet: »*Nequaquam! Hîc nihil invenies. Isto in viculo accipies ne frustillum quidem paniceum.*«

»*Nonne restant aliqui incolae?*«

Ille exspuit. »*Restant nonnulli. At isti ipsi omne ahenum culinare circumvagantes mendicant.*«

Ista est res mala. Nil restat nisi ut famem sustinentes expectemus usque mâne, quo cibi afferentur.

At nunc cum videam Katium pileum capiti imponere, quaero: »*Quo vis ire, Kati?*«

»*Paululum circumiecta explorabo.*« Foras profectus ambulat.

Artillerista ridet male salsus. »*Licet explores! Sed cave ne nimium labores.*«

Spe decepti decumbimus et deliberamus, num admordeamus penora nostra ultima. At hoc nobis videtur esse nimis periculosum. Itaque conamur aliquantulum dormire.

Kroppius sigarello perfracto dat mihi partem dimidiam. Tiadenus narrat de cibo nationis suae, qui sunt magnae fabae cum lardo. Maximê condemnat istos, qui fabas coquant sine satureiâ. Maximê curandum esse, ut omnia unâ percoquantur, per Dei voluntatem ne separatim coquantur poma terrestria et fabae et lardum. Tum aliquis fremuit se Tiadenum redacturum esse ad satureiam, nisi statim taceret. Deinde silentium fit in oeco magno. Nihil auditur nisi flagrant nonnullae candelae lagoenis infixae, et interdum artillerista exspuit.

Nos cubamus iam semisomni, cum ianuâ subito apertâ apparet Katius. Videor mihi somniare: ille duos panes fert bracchio suppositos, manu tenet saccum cruentum carne equinâ completum.

Artillerista tam vehementer stupet, ut fumaculum amittat ex ore excidens. Qui panem digitis attingit. »*Babae, verus panis est, et adhuc calet.*«

Katius non loquitur de pane. Qui habet panem, cetera nil valent. Mihi quidem persuasum est, si Katius in desertis exponeretur, futurum fuisse, ut intra horae spatium cenam conquireret ex dactylis et asso et vino comparandum.

Qui Haio breviter dicit: »*Concîde ligna.*«

Deinde sartagine ex veste eximit et ex sacculo bracarum sumit volam salis et ipsam laminam adipis; – omnia respexit adhibenda. Haius ignem facit in pavimento. Qui fragorem êdit per oecum fabricae vastum. Nos e lectis descendimus.

Artillerista incertus est. Qui deliberat, num sibi laudandum sit, ut fortasse sibi etiam aliquid ciborum attribuat. Sed Katczinskyus eum non videt, nulloque modo respicit. Tum ille abit maledicens.

Katius novit rationem carnem equinam coquendo molliendi. Cavendum est, ne haec caro statim sartagini indita durescat. Necesse est, ut eadem antea percoquatur paululo aquae. Cultris instructi in orbem considimus et cibis nos saburramus.

Talis vir est Katius. Si quo anno in aliquâ regione per unam tantum horam aliquid comestibile posset indagari, is vir eâdem horâ ipsissimâ tamquam illuminatione excitatus pileum capiti imponeret, foras exiret, quasi pyxide nauticâ instructus hoc esculentum infallibiliter inveniret.

Katius invenit omnia; – si frigemus, fornaculas et ligna, fenum, stramenta, mensas, sellas – sed praecipuê invenit res devorandas. Quomodo hoc faciat, est aenigmaticum, credas eum arte magicâ talia ex aëre curare afferendas. Omnium splendidissimum fecit eo quod nobis attulit quattuor pyxides astacorum. Sed maluimus pro iis accipere adipem.

*

Decubuimus in latere tuguriorum aprico. Aer olet bitumen et aestatem et pedes sudantes.

Katius sedet iuxta me, nam libenter confabulatur. Hodie meridiano tempore per horam integram debuimus exercere gestûs honorificos, quia Tiadenus aliquem praefectum maiorem salutaverat negligenter. Quod Katius non obliviscitur. Qui dicit: *»videbis nos bello devictum iri, quia nimis diligenter salutamus.«*

Kroppius appropinquat gradu ciconino, nudis pedibus, bracis revolutis. Qui impilia sua lavata siccanda prato imponit. Katius in caelum suspicit, fortem êdens crepitem ventris adnotat cogitabundus: *»Făbulam qui comedat, venter ei crepitat.«*

Nunc ambo incipiunt disputare. Simul lagoenâ cervesiae sponsionem faciunt de pugnâ aeroplanorum, quae fit supra nos.

Katius non avertitur a sententiâ suâ, quam – ut est vetulus mulus versutissimus – iterum exprimit rimis: *»Aequa cena, aequa merces omnibus si tribuetur, omne bellum cito finietur.«* –

E contrario Kroppius est cogitator. Qui proponit, ut bellum declaretur quasi sit sollemnitas popularis, in quâ emantur tesserae aditiales et modi musici audiantur ita ut in spectaculis tauromachiae. Oportere, ut deinde in harenâ ministri et praefecti generales ambarum terrarum subligaribus balnearibus induti fustibusque armati alii in alios invehantur. In fine eam terram victoriam peperisse, cuius esset ultimus vir relictus. Hoc futurum fuisse melius quam id quod hîc fiat, ubi falsi homines inter se pugnent.

Placet hoc propositum. Tum sermo transit ad exercitia militaria.

De iisdem cogitanti subit mihi imago quaedam. Meridies in aulâ castrorum ferventissimus. Aer fervidus videtur quadamtenus stare supra plateam. Castra videntur esse ab omni animanti vacuissima. Omnia dormiunt. Nihil auditur nisi tympanistae exercentes, qui alicubi statuti exercent brutê, scaevê, monotonicê. En quale tricinium: fervor meridianus, aula castrensis, exercitium tympanorum!

Fenestrae castrorum sunt vacuae et obscurae. Ex nonnullis pendent braciae trilices siccescentes. In ea loca suspicimus. Conclavia sunt frigidula. –

O conclavia decurionum obscura atque mucida, quae instructa estis spondis lectorum ferreis et lectis tessellatis et armariis quibus praeposita sunt scabilla! Quisnam crediderit fieri posse, ut vos ipsa interdum sitis obiecta exoptata; hîc foris vos ipsa estis quodammodo patriae fabulosa monumenta nitidiuscula, vos ipsa receptacula fumi, somni, vestium ciborumque vapidorum!

Kaczinskyus illa conclavia describit magnâ cum colorum magnificentiâ magnoque cum vigore. Quantum daremus, si in illa redire possemus! Nam altiora petere ne cogitando quidem audemus –

Vos horae instituendi matutinae – *»In quas partes dividitur sclopetum 98?«* – vos horae palaestrandi postmeridiani – *»Prodeant clavicines. Dextrorsum. Nomina date in coquinâ pomis terrestribus deglubendis.«* –

Helluamur rerum recordatione. Subito Kroppius ridet dicens: *»Transcendite in statione Löhnensi.«*

Iste fuit lusus decurioni nostro dilectissimus. Statio ferriviae oppidi *Löhne* est statio transcensoria. Ne peregrinatores nostri ibidem aberrarent a recto itinere, *Himmelstossius* nobiscum in conclavi castrensi exercebat transcensionem. Nobis discendum erat peregrinatores in statione *Löhnensi* ad tramen proximum non pervenire nisi per subtertransitum. Lecti ponebantur loco, quasi essent subtertransitus, et omnis nostrum debebat more militari consistere in parte sinistrâ. Deinde nobis mandabatur: *»Transcendite in statione Löhnensi!«*, et fulguris velocitate omnes sub lectis repebamus usque ad partem alteram. Istam rem exercebamus per horas integras! –

Interim aeroplanum germanicum telo e caelo deiectum est. Quod tamquam cometa delabitur nubem fumosam expulsans. Kroppius ideo lagoenâ cervesiae perditâ morosê numerat nummos suos.

Cum Alberti animus refectus sit, ego: *»Himmelstossius«* inquam, *»munere tabellarii cum fungitur, certê est vir modestus. Quinam modo fit, ut îdem munere decurionis instructus homines vexet tam importunê?«*

Hac re quaesitâ Kroppius denuo ad loquendum excitatur. *»Talis non solum est Himmelstossius, tales sunt permulti. Isti ubi primum sunt ornati epomidibus aut acinace, fiunt homines alius generis, quasi devoraverint calcestrum.«*

Ego opinor: *»Hoc efficitur veste uniformi«*.

Tum Katus maiorem orationem habiturus: *»Aliquatenus«*, inquit, *»sed causa posita est alio loco. En vide: Si quem canem ita condocefacis, ut devoret poma terrestria, et postea ei praebes frustum carnis, tamen eandem hiante ore captabit, quia hoc indoli eius naturali est insitum. Et si cui homini das frustulum potestatis, de eo fiet idem; nam idem frustulum captabit. Hoc fit ultro, nam homo ipse primo est bestia, deinde demum fortasse ei est, sicuti quadrae panis adipatae, aliquantulum decentiae allitum. Militaris autem ratio eo constat, quod semper potestatem habeat in alterum. Sed malum est, quod omnis habeat nimis multum potestatis; decurio gregarium, succenturio decurionem, centurio succenturionem potest tam vehementer vexare, ut*

is incidat in insaniam. Cum autem hic sciat, statim aliquatenus consuescit ad istam potestatem exercendam. Exemplo tibi sit res simplicissima: Nos venimus ex plateâ exercendi defatigatissimi. Tum imperatur: Cantate! Scilicet cantari infirmê, nam omnis miles aegrê tantum id assequitur, ut sclopetum secum ferat. Et iam centuriae est revertendum et per horam integram exercendum. Dum redimus, iterum imperatur: ›Cantate!‹, et nunc cantatur. Quem ad finem fit tota ista res? Dux centuriae assecutus est id quod voluit, quia habet potestatem istud assequendi. Nemo eum vituperabit, e contrario, habetur pro duce, qui est animi acerrimi. Sed talis res non multum valet, sunt aliae multo graviores, quibus milites vexentur. Nunc quaero ex vobis: Talis vir, quacumque est condicione civili, quâ in professione iste potest se gerere tam importunê, nisi periculum subire vult, ne rostrum sibi suffringatur? Talia facere nemo potest nisi praepositus militaris! En videtis tantâ potestate acceptâ omnis vir incipit superbire! Et quo inferior eius fuit status civilis, eo maiore afficietur superbiâ.»

»Dicitur quidem disciplina esse necessaria –«, Kroppius adnotat negligenter.

»Causas«, Katius mussitat, »illi habent semper. Licet sint. At ne fiat vexatio. Sed explica istam rem alicui claustrario aut servo aut operario, explica aliquando istam rem alicui militi gregario, quales unt plerique hîc versantes; is nihil videt nisi se vexari et venire in campum proelii, et perbene scit, quid sit necessarium et quid non. Dico vobis ea quae miles gregarius hîc in campo patiantur, esse durissima! Durissima!«

Omnis nostrum hoc concedit, nam omnis scit exercitium non finiri nisi in fossâ castrensi, sed paucis iam chiliometris post frontem proeliarem denuo incohari, idque exercendis rebus absurdissimis, velut salutatione et embaterio pompatico. Nam una semper valet lex ferrea: Miles ne umquam non occupetur.

Sed nunc apparet Tiadenus facie maculis rubris obsitâ. Qui tam vehementer excitatus est, ut linguâ haesitet. Ore renidenti litteras in syllabas colligit: »Himmelstossius huc iter facit. Qui venturus est ad frontem proeliarem.«

Tiadenus Himmelstossio succenset acerbissimê, quia ab isto in castris tuguriorum educatus est istius more. Nam Tiadenus est submeiulus, non potest quin nocte dormiens submeiat. Himmelstossius autem qui pertinaciter atque perseveranter contendit Tiadenum hoc facere pigritiae causâ, invênit remedium sui, quo Tiadenum adiuveret.

Decurio in tugurio propinquo invênit alterum virum submeiulum, qui nomine fuit *Kindervater*. Quem iussit in eodem tugurio pernoctare ac Tiadenum. In tuguriis stabant spondae lectorum typici, in quibus unus lectus alteri superpositus erat, fundi lectorum constabant ex filis ferreis. Himmelstossius nunc curavit, ut unus submeiulus acciperet lectum superiorem, alter lectum infra eundem positum. Scilicet militem infra cubantem se habuisse iniucundissimê. Ideo proximo vespere submeiuli debebant lectos suos inter se permutare, ut inferior in lectum superiorem veniebat ultionem exsecuturus. Ista fuit Himmelstossiana educatio sui ipsius.

Hoc consilium erat sordidum, sed bene excogitatum. At infeliciter successit, quia falsa erat opinio praeiudicata: neuter eorum submeiebat pigritiae causâ. Quod omnis

animadvertibat aspiciens amborum cutem pallidam. Denique res eo finita est, quod semper unus eorum dormiebat in pavimento. Facile autem fieri poterat, ut is perfrictionem contraheret. –

Interim etiam Haius iuxta nos consedit. Qui mihi annictat et brancam suam affricat cogitabundus. Unâ degimus vitae nostrae militaris diem pulcherrimum. Is fuit ille vesper, antequam in campum vecti sumus. Attributi eramus alicui regimentorum, quibus est magnus numerus, sed antea in praesidium stativum reportati, ut investiremur, non in depositorium tironum, sed in alia castra. Postridie mâne nos esse profecturos. Vespere profecti sumus ad Himmelstossium ulciscendum. Quod nos facturos esse iam septimanis ante coniuraveramus. Kroppius tantum progressus erat, ut nobis affirmaret se pace factâ munus petiturum esse cursuale, ut postea Himmelstossii iterum tabellarii facti fieret praepositus. Kroppius voluptuosê animo fingebat, quibus modis istum esset vexaturus. Nam hoc erat causae, cur Himmelstossio non contingeret, ut nos humiliaret; semper enim sperabamus aliquando fieri posse, ut istum deprehendamus puniendum, si tardissimê, bello finito.

Nunc autem volumus istum probê mulcare. Nam quid periculi nobis imminere, si iste nos non cognovisset et nos postridie mâne iam profecturi essemus?

Scimus, quâ in cauponâ iste sederet omni vespere. Cum inde redibat ad castra, necesse erat, ut transiret viam obscuram et a domibus vacuum. Ibidem Himmelstossio insidiati sumus post acervum lapidum. Equidem mecum attuleram indumentum lecti. Trementes exspectabamus incerti, num iste veniret solus. Tandem audivimus istius gradum, quem bene noveramus sat saepe mâne auditum, cum ianuâ raptim apertâ rugiebatur »*Surgite!*«.

»*Solusne est?*« Kroppius susurravit.

»*Solus!*« – Unâ cum Tiadeno arrepsi ad acervum lapidum.

Tum subito iam corruscavit eius clusura cincturalis. Himmelstossius visus est aliquantulum exhilaratus; qui cantabat. Praeteribat nil mali suspicans.

Pannum lectuarium corripuimus submissê prosilientes, a tergo obvolvimus caput istius aversum, pannumque deripuimus, ut iste constaret tamquam saccus albus neve braccia tolleret. Desiit cantare.

Proximo momento temporis adfuit Haius Westhus. Bracchiis dilatis nos repulsavit, ne ullo modo ultio sua retardaretur. Deinde Haius voluptuosê constitit, brachium sustulit tamquam mâlum signalis, cui erat manus vatillo carbonario haud absimilis, et saccum album tantâ vehementiâ pulsavit, quantâ bovem occîdere potuisset.

Himmelstossius autem cernuavit usque ad locum quinque metris remotum et coepit rugire. Sed etiam huic rei provideramus, nam nobiscum attuleramus pulvinum. Haius nate incoxavit, pulvinum genibus imposuit, Himmelstossium corripuit ibi, ubi erat caput, eumque pulvino impressit. Statim rugitus est deminutus. Haius eum interdum sinebat aëra haurire, deinde ex singultu exorta est clarus clamor magnificus, qui statim mollescebat. Nunc Tiadenus habenis bracarum solutis bracas detraxit Himmelstossii. Hoc faciens flagrum retinuit dentibus. Deinde surrexit verberaturus. En imaginem mirabilem: Himmelstossius humi prostratus, Haius in istum declinatus, cuius caput genibus Haii impositum, qui in torvum renidens ore voluptuosê aperto,

deinde palpitans subligar variegatum cum cruribus valgis, quae in bracis devolutis omni ictu movebantur mirificentissimê, et super iis Tiadenus indefatigabilis lacertum vibrabat tamquam lignarius. Tandem non potuimus, quin eum abriperemus, ut ipsi etiam possemus verberare.

Tandem Haius Himmelstossium in pedibus reposuit necnon in fine praebuit spectaculum privatum. Quasi stellas de caelo esset carpturus, Haius lacertum excussit ad alapam ducendam. Himmelstossius decidit. Haius eidem iterum sublato manu sinistrâ alteram duxit alapam excellentissimê collineatam. Himmelstossius ululans fugâ salutem petivit more quadrupedum. Eius nates eius tabellarii variegatae lucebant in lumine lunae.

Nos autem evasimus gradu citato.

Haius etiam conversus dixit voce truci, saturatâ, aliquatenus aenigmaticâ: »*Volup est vexare vexatorem*«.

Sensu proprio Himmelstossius causam habuit, cur gauderet; nam praeceptum eius, quo semper unus alterum deberet educare, in personâ eius ipsius fructûs tulerat. Nos enim eius methodorum facti eramus discipuli dociles.

Iste numquam invênit, cuius gratiâ hanc rem accepisset. Saltem eâdem acceptâ lucratus est pannum lectuarium; nam paucis horis post cum locum ultionis iterum inspeximus, illum pannum non iam invênimus.

Hic vesper causae fuit, cur postridie mâne proficisceremur animis aliquatenus aequis. Itaque quidam vir barbâ plenâ vibrante praeditus animo commoto nos appellavit iuventutem heroicam.

***Explicit caput
tertium
fabulae romanicae
c.t.
„In occidente nihil novi“.
Caput quartum sequetur.***

Caput Quartum IV



PAUL BÄUMER

4.

Procedendum nobis est, ut faciamus munitionem¹. Dum tenebrae oboriuntur, autoplaustra² advehuntur fremebunda. Quae ascendimus. Vesper calet, crepusculum nobis videtur pannus esse, quo obtecti nos habemus iucundê. Eodem inter nos coniungimur; ipse *Tiadenus* tenax mihi donat sigarellum³ et praebet ignem.

Stamus unus iuxta alterum, densê constipati, nemo potest sedere. Nec ad sedendum assuefacti sumus. *Müller* tandem animo est bono; qui gerit caligas suas novas. Motra⁴ adhuc fremunt, currûs strepunt et crepitant. Viae detritae sunt et foraminosae. Non licet lumen facere, itaque adeuntes tam scaevê titubamus, ut paene ex curru excidamus. Sed de hac re non sollicitamur. Quidnam imminet; bracchium fractum melius est quam venter perforatus, et non pauci talem sibi exoptant bonam occasionem, quâ domum veniant. Iuxta nos longis ordinibus vehuntur vehicula pyrothecaria⁵. Quae properantia continuo nos praetervehuntur. Nos eorum aurigis acclamamus facetias, et illi respondent. Murus apparet, qui pertinet ad domum, qui situs est a viâ seorsum.

Subito aures arrexī. Num fallor? Iterum clarê audio clangorem anserum. *Katzinskyum* aspicio – ille respicit: nos intellegimus unus alterum.

»*Heus Kate, audio petitozem ollae coctoriae*–«

1 **mūnitiōnem facere** orig. *schanzen*.

2 ***autoplastrum**, -ī n. orig. *Lastwagen*.

3 ***sigarellum**, -ī n. orig. *Zigarette*.

4 ***mōtrum**, -ī n. *Motor*.

5 **vehicula *pyrothēcāria** orig. *Munitionskolonnen*. ***pyrothēcae**, -ārum *f.pl. Munition*. ***pyrothēcium**, -ī n. *Patrone*.

Ille annuit. »*Quod faciam reversus. Hanc regionem bene nôvi.*«

Scilicet *Katum* hanc regionem bene novisse. Is certê ibi novit omnem pedem anserinum, qui versatur in circumferentiâ viginti chiliometrorum. Nunc currûs perveniunt ad regionem artilleriae⁶. Loci tormentorum fruticibus obtecti sint, ut lateant aeroplanigas⁷, quasi praeparetur quaedam *sollemnitas tabernaculorum*⁸ militaris. Tales trichilae aspectu essent hilari atque pacifico, nisi earum inquilini essent canones⁹.

Aer fit fumo tormentorum nebulâque vaporosus. In linguâ saporem sentio fumi pulveris pyrii¹⁰ amarum. Vultûs nostri mutantur insensibiliter. Opus nondum est in fossas descendere, adhuc tantummodo facimus munitiones, sed omni faciei nunc quadamtenus est inscriptum hîc esse frontem bellicam¹¹, nos in eius regione versamur. Nondum timemus. Qui toties versus frontem vectus est quoties nos, eius animus obduratur. Iuniores tantum tirones sunt solliciti. Quos docet *Katus*: „*Hoc granatum*¹² *fuit calibri 30,5. Quod auditis ex sono iaculandi; mox audietis iniectum.*“¹³

Sed iniectum sonus fuscus non advenit ad nos. Qui immergitur frontis bellicae murmuribus. *Katus* aures arrectas foras extendit. „*Hac nocte fiet cattunum.*“¹⁴ Omnes auscultamus. Frons est inquieta. *Kroppius*: „*Britannastri*¹⁵ *iam iaculantur.*“ Iaculationes clarê audiuntur. Quae fiunt tormentis britannicis a dextris sectionis nostrae. Britanni incipiunt horae spatio nimis maturê. Apud nos illi semper ipsâ decimâ demum horâ iaculari coeperunt. Tum *Müller* vocat: „*Quidnam volunt isti? Num istorum horologia sunt praepropera?*“ - Tum *Katus*: „*Credite mihi: Fiet cattunum. Quod sentio in ossibus meis.*“ *Katus* umeros suos sursum trahit.

Iuxta nos strepunt tres iaculationes. Radius igneus in nebulam obliquê proicitur, tormenta fremunt et strepitant. Frigemus et gaudemus, quod cras redibimus in tuguria.

Facies nostrae non sunt solito pallidiores et rubriores; neque sunt tensiores aut laxiores, tamen sunt aliae. Sentimus in sanguine nostro aliquid excitatum esse. Quod non dico sensu translato: haec est res verê facta. Fronte bellicâ excitatur iste sensus. Eo momento temporis, quo prima granata sibilant, quo aer iaculationibus dirumpitur, subito nostris venis, nostris manibus, nostris oculis quaedam exspectatio complicata, quaedam insidiatio, quaedam vigilatio fortior, mira quaedam sensuum flexibilitas. Subito corpus est ad agendum paratissimum.

6 ***artilleria**, -ae f. orig. *Artillerie*. cfr Siemienowicz, *Ars magna artilleriae*. Amsterdam 1650.

7 ***aeroplanīga**, -ae m. theod. *Flieger, Pilot*.

8 **sollemnitas tabernaculorum** orig. *Laubhüttenfest*. Sensu proprio festum Iudaeorum (hebr. *Sukkot*), quod memoratur in biblia. Sollemnitate tabernaculorum celebrantur messis et exodus Israelitarum ex Aegypto factus. Iudaei ornant aedificant *tabernacula* sive *trichilas* easque ornant pomis et holeribus.

9 **cannō**, -ōnis m. i.q. *tormentum bellicum*. theod. *Kanone, Geschütz*.

10 **pulvis pyrius** theod. *(Schieß)pulver*.

11 **frōns bellica** theod. *(Kriegs)front*

12 **grānātum**, -ī n. orig. *Granate*.

13 **iniectus**, -ūs m. sive **iniectiō**, -ōnis f. *Einschlag*.

14 ***cattūnum**, -i n. orig. *Kattun*. Sensu proprio est linteum xylinum (nomen ducitur ex arabico sermone), quod adhibetur etiam ad *vulnera* colliganda. Hōc loco *Katus* miles peritus verbum *cattuni* adhibet sensu translato, ut dicat imminere proelium *cruentum*.

15 ***Britannaster**, -trī m. orig. *Tommy* (*supernomen Britannorum*).

Saepe mihi aer commotus vibrans videtur ad nos transsilire oscillatione inaudibili; aut ipsa frons bellica mihi videtur radiare electricitatem¹⁶, quâ cuspides nervorum ignotae excitentur. Semper nobis accidit eadem res: Proficiscentes sumus milites aut morosi aut hilares; - at ubi primum advênimus locos tormentorum, omne verbum colloquiorum nostri subito sonat aliter. - Cum *Katus* ante tuguria stans dicit „*Fiet cattunum* -“ - sic sentit, licet sit ita; - at cum hoc dicit hōc loco, haec sententia nobis videtur tam acris esse quam cuspis Lapurdana¹⁷ nocte in lunâ, quae videtur persecare cogitationes nostras integras, ista sententia est propior et alloquitur nostrum animum inscium sed excitatum et habet sensum funestum: „*Fiet cattunum*“- . Nescio an sit vita nostra intima et secretissima, quae tremens surgit defensum.

*

Mihi frons bellica videtur esse gurges formidulosa. Adhuc si a centro eiusdem remotus es in aquâ quietâ versans, tamen iam sentis vim suctricem¹⁸, quâ te attrahit ad se, lentê, inevitabiliter, sine magnâ resistentiâ.

Sed e terrâ, ex aëre manant ad nos vires defensoriae, - plurimae e terrâ. Nemini terra tantum valet quantum militi. Cum îdem terrae se apprimit diu, vehementer, cum in eam se infodit facie et membris timens tela mortifera, terra militi est amica unica, soror, mater ei est, qui gemendo timorem clamoresque inicit silentio terrae, quae ei est refugium silentiosum eumque recipit et remittit ad novam secundarum decuriam currendi et vivendi, denuo recipit et interdum in aeternum. Terra – terra – terra -!

Terra, quae habes plicas sōli et foramina cavosque recessûs, quibus potest inici, quibus insinuari! Terra, tu in convulsione formidinis, in scaturigine destructionis, in displosionum rugitu mortifero nobis dedisti ingentem undam vitae recuperatae contrariam! Furiosa procella existientiae paene discissae a te refluens fluxit per manûs nostras, ut easdem servatas tibi infoderemus et, cum per spatium minutae vitâ superavissemus, ut mutâ felicitate anxiâ affecti labiis nostris te morderemus! –

Primum granatorum strepitum cum audimus, in quadam parte existientiae nostrae uno impulsu per aliquot milia annorum reicimur. Hōc momento temporis in nobis excitatur instinctus bestialis, quo ducimur atque protegimur. Hic instinctus non est sui conscius, nam est multo celerior, multo certior, multo infallibilior quam conscientia. Hoc non potest explicari. Ambulas nihil cogitans – subito iaces in recessu sōli cavo et supra te fragmenta volant acuta huc illuc proiecta; – sed non recordaris te granatum audivisse adveniens aut te consilium cepisse decumbendi. Tali consilio si confisus esses, iam esses acervus caruncularum disiectarum. Aliâ re, illâ enim praesagitione acutissimâ, dereptus et servatus es nescius, quomodo. Nisi esset talis praesagitio, a *Flandriâ* usque ad *Vogesos* iam pridem nullus homo restaret. Nos proficiscimur milites aut morosi aut hilares, – venimus in zonam, ubi incohatur frons bellica, et facti sumus humanae bestiae.

16 *electricitās, -ātis f. orig. *Elektrizität*.

17 *cuspis Lapurdāna* orig. *Bajonett*.

18 *vīs *sūctrix* orig. *Saugkraft*.

*

Silvâ tenui recipimur. Praetervehimur coquinas campestris. Post silvam de autoplaustris descendimus. Eadem revehuntur; eorum aurigae iussi sunt cras ante diluculum nos abducere. Nebula et fumus tormentorum pratis supersunt usque ad pectora nostra. Quae illucentur radiis lunae. In viâ eunt agmina copiarum. Cassides chalybeiae¹⁹ lumine lunae nitent languidê. Capita et sclopeta²⁰ eminent e nebulâ albâ, capita nutantia, sclopetorum fistulae²¹ labantes.

Loco anteriore nebula finitur. Capita hîc fiunt figurae; - vestes, braciae, caligae e nebulâ veniunt tamquam e stagno lactis pleno.

Congregati se collocant ad agmen faciendum. Quod iter facit, in directum, figurae concluduntur ad cuneum formandum, singuli homines non iam agnoscuntur, nihil nisi cuneus obscurus promovetur, qui mirum in modum suppletur se capitibus sclopeticisque ex stagno nebuloso annatantibus. Istud est agmen – non sunt homines.

In viâ transversâ advehuntur tormenta leviora et currûs pyrothecarii²². Equi in lumine lunae sunt dorsis fulgidis, eorum motiones sunt pulchrae, qui capita huc illuc iactant, apparent eorum oculi coruscantes.

Tormenta currûsque ante recessum²³ plâgae lunaris evanescentem praeterlabuntur, equites cassidibus chalybeis instructi similes sunt equitibus aetatis alicuius transactae, haec omnia sunt quadam pulchritudine animos perfringenti.

Petimus *loca fabrorum*²⁴. Nonnulli nostrum umeris imponunt baculos curvatos acutosque, alii laeves baculos ferreos impingunt trochleis fili metallici²⁵ et cum iisdem proficiscuntur. Haec onera sunt incommoda et ponderosa. Loca sunt magis magisque discissa. Ex parte anteriore afferuntur nuntii: »*Cavete a sinistris, cratera granatarium*²⁶ *profundum*« – »*Cavete fossam*« – Oculi nostri sunt intenti, pedes et baculi praesentiunt, antequam corpore onerantur. Subito agmen consistit; - facie in trochleam praeentis impulsâ unusquisque conviciatur. Via obstructa est nonnullis curribus, qui telis sunt afflicti. Novum mandatum. »*Exstinguite sigarella et fumacula*²⁷«. – Fossis sumus propinqui.

Interim tenebrae sunt densissimae. Silvulâ circumitâ accedimus partem frontis bellicae. In horizonte conspicimus incertum lumen quoddam rubidum ab uno fine ad alterum se pertingens. Quod non desinit moveri et percutitur igne corusco, qui

19 **cassis** (-idis) **chalybeia** f. orig. *Stahlhelm*.

20 +**sclopētum**, -ī n. orig. *Gewehr*.

21 **fistula** +**sclopētī** orig. *Gewehrlauf*.

22 **currus** ***pyrothēcārius** orig. *Munitionswagen*.

23 **recessus**, -ūs m. orig. *Hintergrund*.

24 **loca fabrōrum** orig. *Pionierpark*.

25 **trochlea fili metallici**

26 **crātēr** (-ēris) **grānātārius** m. orig. *Granatentrichter*.

27 **fūmāculum**, -i n. orig. *Pfeife*.

proicitur ex tormentorum orificiis. Supra sphaerae lucidae ascendunt, pilae argenteae et rubrae, quae disploduntur, ut depluant stellae albae et virides et rubrae. Ruchetae²⁸ francogallicae sursum iaciuntur, quae in aëre umbellâ sericeâ²⁹ explicatâ perquam lentê in terram devolant. Quibus omnia illuminantur tamquam sole, ut lumen pervadat usque ad nos, qui humi videamus umbrarum nostri lineas acres. Quae ruchetae per minutas volitant in aëre pendentes, usque dum exurantur. Deinde statim ascendunt novae, et interea denuo virides, rubrae, caeruleae.

Katus dicit: »Quantae turbae!«³⁰.

Tormentorum fulgura atque tonitrua exaugentur, ut fiat unus tantum strepitus fuscus³¹, deinde denuo dispergitur in iniectioes gregales³². Polybolorum³³ grandines siccae³⁴ crepitant. Supra nos aer completus est invisibili venatione, ululatu, sibilatione, stridore. Qui soni efficiuntur telis minoribus; – sed interea etiam per noctem fremunt quasi quis organo moduletur tela maiora capsis carbonum³⁵ similia, ponderosissima, et in terram decidunt post nos longê remota. Quae tela rugiunt voce raucâ et remotâ, tamquam cervi glocitantes³⁶ et in altis viam sibi faciunt supra tela minora ululantes atque sibilantes.

Luminaria incipiunt caelum nigrum perquirere. Eorum radii trans caelum labuntur tamquam regulae³⁷ ingentes versus finem tenuescentes. Unus radius luminaris consistit et paululo tantum tremit. Statim alter radius versatur iuxta eum, decussantur, insectum quoddam nigrum iisdem interest et conatur effugere: aeroplanum³⁸. Quod fit incertum, obcaecatur, titubat.

*

Palos ferreos impingimus aquis distantis. Bini semper viri trochleam tenent, alii filum aculeatum³⁹ devolvunt. Taedet nos istius fili ferrei aculeis longis et densê horrentibus instructi. Cum non iam assuefactus sim ad filum devolvendum, manus mea laceratur.

Post nonnullas horas finivimus. Sed restat nobis adhuc tempus, dum plaustra veniant. Plerique nostrum cubitum eunt et dormiunt. Ego quoque conor dormire. At nimium frigescit. Sentimus nos prope mare esse, propter frigus iterum iterumque e somno excitamur.

Semel artê dormio. Cum subito uno ictu sursum volem, nescio, ubi sim. Video stellas, video ruchetas, momento temporis mihi videor in festo hortensi obdormivisse.

28 +*ruchêta*, -ae f. orig. *Rakete*.

29 *umbella sêricea* orig. *Seidenschirm*.

30 *turbae*, -ârum f.pl. orig. *Schlamassel*.

31 *fuscus*, -a, -um (*de sono*) orig. *dumpf*.

32 *iniectiō gregâlis* orig. *Gruppeneinschlag*.

33 **polybolum*, -ī n. orig. *Maschinengewehr*.

34 *grandinēs siccae* orig. *trockene Salven*.

35 *capsa carbōnum* orig. *Kohlenkasten*.

36 *cervus glocitâns* theod. *röhrender Hirsch*.

37 *rêgula*, ae f. orig. *Lineal*.

38 **aeroplanum*, -ī n. orig. *Flieger, Flugzeug*.

39 *filum aculeâtum* orig. *Stacheldraht*.

Nescio, utrum mâne an vesper sit, iaceo in crepusculi cunabulo pallido exspectans verba mollia ventura, mollia et tenera – num lacrimo? Oculos attingo, tam mirum est, num infans sum? Cutis lenis – per secundam tantum hoc fit, deinde agnosco lineamenta *Katcinskyi*. Qui sedet quietus, miles vetus, et fumat fumaculum, scilicet fumaculum operculatum⁴⁰. Cum animadvertat me vigilare, breviter adnotat: »*Bellulê horruisti. Nihil fuit nisi capsula incensoria*⁴¹, *quae ibi dumeto*⁴² *iniecta est.*«

Concido et mirum in modum mihi videor solus esse. Bonum est, quod adest *Katus*. Qui cogitabundus ad frontem bellicam suspiciens: »*Bellulum sanê*« inquit »*pyrotechnema*⁴³ *esset, nisi esset tam periculosum.*«

Post nos telum inicitur. Nonnulli tirones territi raptim surgunt. Post nonnullas minutas denuo scintillae advolant, propius quam antea. *Katus* fumaculum pulsando evacuat. »*Fiet turba.*«

Iam incipit res. Rêpendo nos abdimus, quantum hoc possumus properantes. Proximum telum iam nobis interiectum est. Nonnulli homines clamant. In horizonte ascendunt ruchetae virides. Sordes sursum iacitur, fragmenta susurrant. Quae adhuc audiuntur applaudi, cum strepitus iniectuum iam pridem obmutuerit.

Iuxta nos iacet tiro anxiosus puer flavicomus⁴⁴. Qui faciem impressit manibus. Eius cassis seorsum delapsa est. Eandem quadamtenus piscando attractam volo pueri capiti imponere. Is suspiciens casside repulsâ more infantis rêpens caput suum supponit brachio meo, pectori meo se insinuat. Umeri eius angusti palpitant. Tales fuere umeri *Kemmerichii*. Puerum non recuso hoc facientem. Ut autem cassis saltim uno modo prosit, impono eam pueri natibus, non ioci causâ, sed quia cogito eas esse partes corporis altissimas. Quamquam nates constant ex carne crassâ, tela iisdem iniecta efficiunt dolores vehementissimos, praeterea necesse est militem tali vulnere affectum per menses in valetudinario iacêre pronum et postea satis certo claudicare.

Aliquo loco telum est iniectum vehementer. Inter iniectioes audiuntur clamores. Tandem fit silentium. Tela super nos transiecta nunc iniciuntur in ultimas fossas subsidiarias⁴⁵. Audemus suspicere. Ruchetae rubrae in caelo vacillant. Verisimile est impetum imminere.

Apud nos manet quies. Concido et tironis umerum commoveo. »*Res finita est, mi parve. Etiam bene superavimus.*«

Ille perturbatus circumspicit. Studeo puerum consolari: »*Ad talia certê assuefies.*«

Cassidem conspectam sibi imponit. Lentê respiscit. Subito puer vehementer erubescens vultum contraxit in difficultatem adductus. Cautê manum ad posteriora sua movens me aspicit pudore vexatus. Statim intellego eum esse *febri cannonum* affectum. Ad hunc quidem finem cassidem non imposueram illi loco – sed puerum consolor: »*Hoc non est tibi infamiae, crede mihi iam milites te multo veteriores*

40 **fūmāculum operculātum** orig. *Deckelpfeife*.

41 **capsa incensōria** orig. *Zünder*.

42 **dūmētum**, -ī n. *Gebüsch*.

43 ***pyrotechnēma**, -atis n. *Feuerwerk*.

44 **puer flāvicomus** orig. *Flachskopf*.

45 **fossa subsidiāria** orig. *Reservegraben*.

primum impetum igniarium⁴⁶ experientes facti sunt forioli^{46a}. Age, eas post fruticem subligar abiectum. Ne flocci facias –«

*

Puer apoculat⁴⁷. Strepitus minuitur, sed clamores non finiuntur. Rogo: »*Quid fit, Alberte?*«.

»*Ibi in alterâ parte nonnulla agmina telis iniecta sunt gravissimê.*«

Clamores audiri non desinunt. Non clamant homines, tam horribiliter non possunt clamare homines.

Katus dicit: »*Clamant equi vulnerati.*«

Equidem numquam cum audiverim equos clamare, vix credo eosdem êdere tales sonos. Equi cum vulnerati sunt mortiferê, eiulant tam miserabiliter, ut tibi videaris audire creaturam torturae subiectam gemere dolore ferventissimo et atrocissimo affectam, immo audias istas bestias miserrimas lamentari de totius mundi miseriâ. Pallescimus. *Deteringius* autem surgit. »*En istos vexatores, vexatores exsecrabiles! Quidni sclopetatis⁴⁸ in eos, ut tandem desinant torqueri!*«

Is vir cum sit rusticus, equorum peritus est. Eum miseret bestiarum dolores patientium. Nunc autem ipso hęc tempore ferê nullus iam fit strepitus telorum advolantium – quasi hoc fiat consulto. Eo maiores audimus clamores equorum. Non iam scimus, unde veniat ista lamentatio formidulosa in hac plâgâ argenteâ, nunc tam tranquillâ, ista eiulatio perterricrepa, quae perfringit animos nostros, quae est invisibilis, phantasmatica, ubique, inter caelum et terram, quae immensê exaugescit – *Deteringius* irâ incensus rugit: »*Sclopetate, tandem sclopetate in equos, malum, vos exsecror!*«

Katus autem: »*Primo*« inquit »*necesse est, ut illi arcessant homines*«. Surgimus et quaerimus locum, ubi sint equi. Putamus bestiis conspectis fore, ut lamenta levius feramus. *Meyer* secum habet telescopium⁴⁹. Videmus gregem obscurum sanitariorum⁵⁰ feretris instructorum et globos nigros maiores, qui moventur. Illi sunt equi vulnerati. Sed non omnes. Nonnulli currunt procul remoti, delabuntur, pergunt currere. Unius equi venter est discissus, viscera longa dependent. Quibus implicatus corruit, sed resurgit.

Deteringius sclopetum raptim sublatum collineat. At *Katus* hoc manu pellit in aëra. »*Esne mente captus -?*« *Deteringius* tremens sclopetum humum deicit. Considentes aures manibus obtegimus. At iste gemitus, ista querela, ista lamentatio atrocissima perfringit aures nostras, ubique perfringit.

Nos omnes sumus obdurati. At hęc loco sudor nobis erumpit. Cupimus surgere et aufugere, quemcumque in locum, ut tandem desinamus audire istos clamores

46 **impetus igniarius** orig. Feuerangriff.

46a **facti sunt forioli** orig. haben die Hosen voll gehabt.

47 **apoculô**, -äre orig. sich trollen, abhauen.

48 ***sclopëtô**, -äre schießen.

49 ***tëlescopium**, -ī n. orig. Glas, Fernglas.

50 ***sānitarius**, -ī m. orig. Sanitärer.

horribiles. Quamquam illi non sunt homines, quamquam nihil sunt nisi equi. E glomere obscuro denuo solvuntur feretra. Deinde crepitant singuli iactûs sclopetorum⁵¹. Globi palpitantes fiunt planiores. Tandem! At miseria nondum est finita. Nam illi homines non assequuntur bestias vulneratas, quae timore correptae aufugiunt dolores suos omnes patefacientes oribus raptim dilatis. Unus e militibus genu flexo sclopetum collineat, iaculatur – deinde primus equus collabitur, – tum alter. Ultimus pedibus anterioribus enititur, circumrotatur, quasi sedeat in circumvectabulo⁵², sedens altê pedibus anterioribus nixus circumrotatur, verisimile est eius equi dorsum esse diffractum. Miles accurrit et sclopetat, ut equus delabatur. Bestia lentê humum delabatur, quadam cum animae humilitate.

Manûs ab auribus auferimus. Clamores obmutuerunt. Nullus iam auditur sonus equorum nisi gemitus unicus, qui intermoriens longê producitur. Deinde nobis restant tantummodo ruchetae et cantatio granatorum et stellae – et hoc paene est mirum.

Deteringius abiens exsecratur: »*Velim scire quamnam culpam contraxerint hi equi miserimi.*« Îdem postea iterum ad nos adveniens voce excitatâ, paene sollempni: »*Hoc autem*« inquit »*vobis dico: Improbissimum est bestias adhibere in bello.*«

*



Redimus. Tempus est advenire currûs nostros.

Caelum paululo diluxit. Hora est tertia matutina. Ventus flat recens atque frigidulus, lunae lumine facies nostrae sunt luridae.

Porro caligamus unus post alterum per fossas atque crateras iterumque pervenimus in zonam nebulosam. *Katczynskyus* est inquietus; unde malum exspectamus. *Kroppius* rogat: »*Quid tibi, Kate?*«

»*Utinam iam essemus domi.*« – Domi – loquitur de tuguriis.

»*Mox aderimus, Kate.*«

Is est sollicitus.

51 **iactus sclopētī** orig. *Gewehrschuss*.

52 ***circumvectābulum**, -ī n. orig. *Karussell*.

»Nescio, nescio –«

Venimus in fossas cursorias et deinde in prata. Silvula apparet; hîc novimus omnem terrae laciniolam. Ibi iam est coemeterium venatorium⁵³ tumulis suis nigrisque crucibus.

Hîc autem momento temporis post nos audimus sibilos, sonos augescentes, crepitationes, tonitrua. Dorsa fleximus – centum metris ante nos nubes ignea sursum proicitur. Proximâ minutâ pars silvae altero iniectu lentê tollitur super cacumina, tres quattuorve arbores abreptae unâ cum humo volitant et diffringuntur. Iam advolant sequentia granata sibilantia tamquam valvulae ahenorum⁵⁴ – iniectio fit acerrima – aliquis rugit »*Abdite vos!*« - Prata sunt plana, silva est nimis remota et periculosa; - nullum aliud est refugium nisi coemeterium et tumuli sepulchrorum. Caespitamus per tenebras in sepulchretum, omnis nostrum statim post aliquem tumulum se abdit quasi eidem sit adsputus⁵⁵.

Hoc nequaquam factum est praematurê. Tenebrae fiunt furiosae. Quae fluctuant et tumultuantur. Obscuritates gibbosae nocte nigriores in nos raptim invehuntur furibundae, raptim nos transvolitant. Flammae displosionum super coemeterium saliunt flagrantes.

Nusquam est exitus. Granatis coruscantibus audeo suspicere ad prata. Quae similia sunt mari turbulento, flammae telorum fasciculatae⁵⁶ exsiliunt tamquam silani. Fieri non potest, ut aliquis per talia prata transveniat. Silva evanescit; quae disculcatur, discinditur, dirumpitur. Necesse est nos hîc manere in coemeterio.

Ante nos terra dehiscit. Glaebae depluunt. Sentio ictum. Manica mea fragmentis est direpta. Manum in pugnum comprimo. Nullos dolores sentio. At hoc me non tranquillat, nam vulnera solent efficere dolorem retardatum. Bracchium perstringo. Quod est attritum, sed sanum. Tum caput meum impellitur tantâ cum vehementiâ, ut vix iam mentis sim compos. Rapidê mihi subvenit in mentem: *Resipisce! Ne animus te relinquat!* Videor submergi pulte nigrâ, sed statim resurgo. Fragmentum cassidi meae iniectum est, e maiore distantîâ advolavit, quam ut cassidem transfoderet. Sordem ex oculis abstergeo. Ante me terrâ erutâ foramen est factum, quod agnosco obscurê. Cum sciam raro fieri, ut plura granata iniciantur in eundem cratera, volo irreperere. Uno saltu prosilio corpore protenso, pisce planior repo trans solum, tum denuo audio sibilum, raptim me complico, tegimentum apprehendo, aliquid sentio sinistrâ parte, iuxta quod me apprimo, id quod apprehendi, relabitur, gemo, terra diripitur, pressione aëris aures meae resonant tonitrua, repo sub tegimentum relabens, quo me obtego, quod est lignum, pannus, tegimentum, tegimentum misericulum, quod me protegit contra fragmenta, quae iniciuntur.

Oculos aperio, digitis teneo manicam comprehensam, bracchium. Num est ille vulneratus? Cui acclamo, nullum fit responsum – ille est mortuus. Manus mea pergit

53 **coemetêrium vênâtôrium** orig. *Jägerfriedhof*.

54 **valvula ahênî** orig. *Kesselventil*.

55 **adspuô**, -ere, -î, -ûtum orig. *anspucken*. cfr ThLL 02,846,76-80 PLIN.nat.28,39 cur non et haec credamus rite fieri, extranei interventu, aut si dormiens spectetur infans, a nutrice ternâ (sc. vice) adspui in os?

56 **flamma fasciculâta** orig. *Stichflamme*.

circumiecta attingere, attingit fragmenta lignea, tum recordor nos iacere in coemeterio.

At grando telorum⁵⁷ est vehementior quam cetera omnia. Quâ animus me relinquit, etiam altius subrepto arcam funebrem, ut protegar, etsi arcae imposita sit mors ipsissima.

Ante me crater dehiscit. Quem oculis comprehendo tamquam pugnisi, necesse est eum uno saltu insilire. Tum faciei meae plâga inicitur, manus umerum meum circumplectitur – num surrexit ille mortuus? – Manu illâ quatiore, caput converto, luce brevissimâ torpidis oculis conspicio faciem *Katczynski*, qui ore apertissimo



rugit, sed ego nihil audio; ille me quassat, appropinquat; at momento temporis vox eius ad me pervenit: »*Gasum*⁵⁸ – *gaaasum* – *gaaasum!* – *Dic aliis!*«

Capsulam gasalem⁵⁹ arripio. Paulo remotus a me iacet aliquis. Nihil cogito nisi hoc: Ut ille sciat: »*Gaaasum* – *gaaasum* -!«

Illum appello, ad illum me promoveo, capsulâ illi impello, sed ille nihil sentit – denuo, etiam – ille nihil facit nisi dorsum detrahit – ille est tiro – desperatus quaero *Katum*, qui mascam⁶⁰ gerit ori impositam – ego quoque eripio meam mascam, cassis avolat seorsim, mascam ad faciem astringo, illum virum assequor, capsula illius iuxta

57 **grandō tēlōrum** orig. *Geschosshagel*.

58 ***gāsūm**, -i n. orig. *Gas*. cfr Johann Brunner, *De calore animali*. Diss. Turici a.1836, p.9.

59 **capsula** ***gāsālis** orig. *Gaskapsel*.

60 +**masca** ***antigāsālis** orig. *Gasmask*. 2. Georg Lurz, *Societas Latina* 42,55.

me posita est, mascam arripio, super caput illius eam moveo, ille apprehendit – ego remitto – et subito uno ictu in cratera incidi.

Fusca tonitrua granatorum gasiferorum⁶¹ miscentur cum crepitatione telorum displosivorum. Campana strepit inter displosiones – gonga⁶², crepitacula metallica annuntiant quoquoversus – gasum – gasum – gaasum – Post me audio homines decedentes – semel – bis. Abstergeo umorem spiritûs mei a mascae meae vitris ocularibus. In cratera inciderunt Katus et Kroppius et alius. Nunc quattuor iacemus animis insidiosê suspensis et respiramus quam infirmissimê.

Minutis horae prioribus, quibus mascam geris, diiudicatur, utrum vivas an moriaris: Estne masca densa? Nôvi horribiles imagines in valetudinario visas: homines gaso infectos, qui in dies convulsivê atque frustatim eructant pulmones combustos.

Respiro, cum ôs cautê capsulae colatoriae⁶³ impresserim. Nunc nubes gasi repit super solum et delabitur in omnes cavernas. Quae nubes atrocissima tamquam medusa bestia⁶⁴ lata se imponit, se insinuat crateri nostro. Katum impello: praestat erêpere et



supra iacêre quam hîc, ubi gasum plurimum colligitur. At hoc nobis non contingit, ut faciamus, nam incohatur grando ignea altera. Non iam tela videntur rugire; videtur

61 **grânâtum *gâsiferum** orig. *Gasgranate*.

62 ***gonga**, ae f. orig. *Gong*. William Smith, *A smaller English-Latin Dictionary*, London 1870.

63 **capsula colâtôria** orig. *Filterkapsel*. 2. cfr *Deutsches Wörterbuch* von Jacob und Wilhelm Grimm. Lfg. 7 (1861), Bd. III. s.v. *Filtriensack*: *sacculus colatorius*.

64 **medûsa bêstia** orig. *Quallentier*.

furere ipsa terra. Crepitans ad nos rapidê defertur res aliqua nigri coloris; quae inicitur proximê iuxta nos – ista res est arca funebris sursum eiecta. Video *Katum* se moventem et repo ad illum. Ista arca impulsâ est bracchio quarti viri illius in foramine nostro sedentis. Qui vir conatur alterâ manu abripere mascam antigasalem. *Kroppius* autem recto tempore apprehendit, viri manum durê flectit ad dorsum et detinet.

Katus egoque studemus bracchium vulneratum liberare. Operculum arcae funebris⁶⁵ absolutum est et discissum, facile fit, ut idem eripiamus, hominem mortuum eicimus, ut delabatur, deinde conamur partem arcae inferiorem relaxare.

Feliciter accidit, ut hic vir animo relinquatur, et Albertus nobis adesse possit. Nunc non iam debemus agere tam subtiliter et laboramus, quantum possumus, usque dum arca funebris, cum palam supposuerimus, quodam cum gemitu ex humo resolvatur.

Dilucuit. *Katus* fragmentum operculi sumptum supponit bracchio discusso, cui nos circumligamus omnia ligamina ex fasciculis nostris exempta. Plura hęc momento temporis facere non possumus ad sodalem saucium adiuvandum.

Caput meum mascâ antigasali conclusum fremit et strepit, non multum abesse videtur, quin displodatur. Pulmones mei sunt laboriosi, spiritum non habent nisi semper eundem halitum calidum, iam languidum, venae temporales turgescunt, puto me suffocari – Lumen luridum lentê fluit ad nos. Ventus flat per coemeterium. Me promoveo trans marginem crateris. In sordido crepusculo ante me iacet crus ereptum, caliga autem est plenê integra, quae omnia hęc momento video perquam clarê. At nunc aliquis paucis metris a me remotus surgit, fenestras purgo mascae meae, quae mihi sollicito iterum iterumque umore obscurantur, oculis torpidis illuc conspicio – ille vir non iam gerit mascam gasariam.

Exspecto per nonnullas secundas temporis – ille non collabatur, quaeritans circumspicit et nonnullos facit gradûs – gasum vento dispersum est, aer est purus – tum ipse singultans etiam abripio mascam et decido, aer recens in me influit tamquam aqua frigida, oculi videntur frangi, videor mihi undâ obscurâ submergi et exstingui.

*

Tela desierunt iniectari. Me converti ad cratera ceterisque annuo. Qui sursum enixi mascas sibi deripiunt. Circumplectimur virum vulneratum, unus apprehendit eius bracchium ferulae⁶⁶ alligatum. Sic proficiscimur properê caespitantes.

In coemeterio nihil nisi ruinae et fragmenta. Cadavera et arcae funebres iacent disiectae. Homines mortui iterum sunt necati; sed omnis eorum, qui telo dilaceratus est, unum e nostris servavit.

Saepimentum est discissum, regulae ferriviae⁶⁷ campestris ibi sitae sunt ereptae, in altum flexae horrent versus caelum. Ante nos iacet aliquis. Sistimus, *Kroppius* tantum pergit abire cum viro vulnerato.

65 **arca fūnebris** orig. *Sarg.*

66 **ferula**, -ae f. orig. *Schiene (med.).*

67 **rēgula *ferriviae** orig. *Eisenbahnschiene.*



Qui humi iacet prostratus, est tiro. Eius coxendix est sanguine oblīta; qui tam lassus est, ut lagoenam meam campestrē⁶⁸ appeto, cui inest thea cum rhomio⁶⁹. Katus manu meā retentā caput declinat ad tironem: »Ubi vulneratus es, mi sodalis?«

Ille oculos movet; infirmior est, quam ut respondeat.

Cautē dissecamus eius bracas. Tiro gemit. »Quiesce, quiesce, mox res melior fiet -«.

Si eius venter est glande sclopeti⁷⁰ perforatus, cavendum est, ne quid bibat. Quod nihil evomuit, est indicio bono. Coxendicem eius patefacimus. Quae est nihil nisi puls carnea cum fragmentis ossium. Articulatio perfossa est. Certum est hunc puerum non iam umquam posse pedibus ire.

Eius tempus perstringo digito umidato eique do aliquantulum theae bibendum. Eius oculi incipiunt moveri. Nunc videmus etiam ex eius brachio dextro effluere sanguinem.

Katus duos fasciculos ligaminum⁷¹ distrahit in fibras tam latas, ut vulnus obtegan. Quaero telam, quā fibras laxē obvolvam. Cum talem non iam habeamus, partem bracarum femoralem tironis vulnerati pergo dissecare, ut partem subligaris⁷² adhibeam ad vulnus colligandum. At puer non gerit subligar. Nunc attentius eum aspectum recognosco: qui est ille flavicomus, quem modo videram.

Katus interim in sacculis bracarum militis mortui invēnit fasciculos ligaminum, quos cautē vulnere admovemus. Puerō dico nos continuo aspectanti: »Allaturi sumus feretrum.«

Tum puer ore aperto susurrat: »Māne hīc -« Katus autem: »Mox« inquit »reveniemus. Tibi afferemus feretrum.«

Non agnoscimus, num nos intellexerit; more infantuli eiulans iterum iterumque: »Nolite abire -« Katus circumspiciens susurrat: »Nonne praestat adhibere revolcrum⁷³, ut desinat?« Scimus hunc puerum transportationem vitā non superaturum esse, eundem victurum esse, si longissimē, per nonnullos tantum dies.

68 **lagoena campestris** orig. Feldflasche.

69 ***rhōmium**, -ī n. orig. Rum.

70 **glāns +sclopētī** orig. Gewehrkuigel.

71 **fasciculus ligāminum** orig. Verbandspäckchen.

72 **subligar**, -āris n. orig. Unterhose.

73 ***revolcrum**, -ī n. orig. Revolver.



At omnes dolores quos usque nunc passus sit, multo minores fuisse illis quos adhuc passurus sit usque ad mortem. Nunc adhuc sopitus nihil sentit. Post horam hunc puerum fore similem infantulo clamosissimo, qui torqueatur doloribus intolerabilibus. Dies, qui ei restent, fore dolorosissimos. Et cui bono est, utrum isti dies ei restent necne – ego adnuo. *»Ita est, Kate, praestat adhibere revolucrum.«*

»Da mihi«, Katus dicit loco consistens. Video eum firmo animo esse. Conversi videmus nos non iam solos esse. Ante nonnulli congregantur, ex fossis et crateribus capita eriguntur.

Feretrum afferimus.

Katus caput concussit. *»Eheu quam iuvenilis est«* – Et iterum: *»En pueros tam iuveniles, tam innocentes –«*

*

Opinione pauciores sodales amisimus: quinque sunt mortui et octo vulnerati. Brevis tantum fuit impetus igniarius. Duo mortuorum nostri iam iacent in uno ex sepulchris erutis; nihil restat nisi ut eos terrâ obtegamus.

Redimus. Tacentes iter facimus unus post alterum. Vulnerati afferuntur ad stationem sanitariam⁷⁴. Aer matutinus est turbidus, sanitarii huc illuc currunt scidulis atque numeris instructi, violati vagiunt. Incipit pluere.

Post horam currum advenimus et ascendimus. Nunc eidem plures sedes sunt quam antea. Pluvia fit fortior. Tentoriorum pannos evolutos imponimus capitibus nostris. Aqua eosdem impulsat sono tympanarum. In lateribus defluunt imbris fluenta. Currûs per foramina vehuntur strepentes, et nos semisopiti huc illuc oscillamur.

74 **statiō *sānitāria** orig. *Sanitätsstation*.




Duo viri in parte plaustrum anteriore sedentes secum ferunt perticas furcatas⁷⁵. Qui observant fila telephonica⁷⁶, quae pendent supra vias transversa, tam humiliter, ut periculum sit, ne capita nostra abripiantur. Duo viri illi fila baculis suis furcatis recepta tollunt super nos. Audimus illos vocare: »Cavete - filum«, et nos semisopiti genua flectimus, deinde resurgimus. *Monotona* est plaustrorum oscillatio, *monotonae* sunt voces quas audio, *monotonus* est sonus pluviae cassitantis. Quae defluit in nostra capita et in capita mortuorum in anteriore parte positorum, in corpus tirunculi vulnere affecti, quod nimis magnum est, si comparas cum coxendice, defluit in sepulchrum *Kemmerichii*, defluit in corda nostra.

Aliquo loco resonat telum iniectum. Palpitamus, oculi nostri sunt intenti, manûs denuo sunt paratae ad corpora super parietes plaustrum in fossam vialem deicienda.

Nunc venit prorsus nihil. – Nihil nisi voces *monotonae*: »Cavete - fila« – nos genibus flexis denuo sumus semisopiti.

75 **pertica furcāta** orig. *gegabelter Stock*.

76 **filum tēlephōnicum** orig. *Telephondraht*.



**QUARTUM CAPUT
FABULAE
AB**

ERICO MARIA REMARQUE

SCRIPTAE

C.T.

„Im Westen nichts Neues“

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

CAPUT QUINTUM SEQUETUR